


kat.komp

CIMELIA


Qu

4961



4961

CIMELIA



S. W. 533

1724

PIETAS
DEVOTA
DIGNE CELEBRANDA
In Comeniacaschii,

ORATIONIBUS, ET
ALIAS AUCTORIBUS

1617.

In Officina Typographica

M. D. C. C.



PRÆPARATIO-
NES DEVOTÆ,
AD DIGNE CELEBRANDVM,
seu Communicandū,

CVM VARIIS ORATIONIBVS, EX
bonis & probatis Authoribus
collectæ.

*Sacerdotes qui accedunt ad Dominum san-
ctificentur, ne percutiat eos.*

Exodi 19.

J. W. Krucyński P. M. C.




CRACOVIAE,
In Officina LAZARI, Anno Dñi,
M. D. xcvi.

LIBRARY
OF THE
BIBLIOTHEQUE
NATIONALE
DE FRANCE
PARIS

Am. Cu. 4961

ILLVSTRI ET REVERENDISS^o
Domino, Domino
IOANNI TARNOVIO,
REGNI P. PROCANCELLARIO,
&c. &c. &c.


*Domino & Patrono suo,
Ioannes Iamussouius S. D.*



ANNI SVNT ALIQVOT,
Ill. ac Rñme D. cūm Si-
mon Albimontanus, exi-
mia pietate Presbyter, re-
uersus ab illa longa & difficili peregrina-
tione, quam non Romam tantū, sed
ad terram sanctam, atque ad S. Iacobi
Compostellam susceperat, & ex animi
sententia confecerat, inter sanctarum
rerum reliquias, quibus abundabat, eti-
am libellum quendam ad me attulerat,
Præparationum Diuinarum, ad dignè
celebrandum seu communicandū. Qui



cùm sua pulchritudine videretur magno vsui fore piis hominibus, si modò à confusione (dissolutus enim totus, dispersusq; fuit) vindicaretur: non destitit à me petere, vt ad eundem libellum cõponendum, ornandum, atq; edendum operam meam curamq; conferrem. Ego verò, pro meo cultus diuini studio, proque eo, quo hominem mihi probe cognitum semper complexus sum amore, ei me libellum hunc fide bona in lucem editurum recepi, cùm primùm mihi per meas tum publicas, tum priuatas occupationes, & rei familiaris, in quas per liuorem coniectus sum angustias, liceret. Sedenim commodum tempus libello edendo, dum obseruo, nec reperio; res meæ domesticæ accisæ, à consiliis literariis ad alias cogitationes, inuitum licet, me traduxerunt. Non ita pridem verò, cùm Rñdus D. Nicolaus Ta-



ranowski, vir in magna Dei & hominū gratia positus, orphanorum, pauperum, afflictorumque pater, Congregationis, quam Misericordiæ vocant Cracouia, Præpositus, inter alia, quæ inter nos multa hoc tempore solemus, eius libelli atq; editionis luculentā faceret mentionem; in mentem mihi venit, etsi Simonis expectationem tamdiu suspensam tenuissem; Taranouij tamen voluntatem differre vlteriùs mihi minimè licere. Quapropter aliquam partem illius cogitationis, quam in Statutis Regni conscribendis fixam habebam, ei libello impertiri volui. Hunc igitur nō tantum capitibus distinctum, sed etiam selectissimis orationibus, quæ eodē spectarent, aliunde petitis, auctum, in lucem edidi. Erit nec ne deuotis animis religiosisque satisfactum, tempus, & illa beatorum vita docebit. Illud indubiū

PRAEFATIO.

est, plurima hoc libello contineri, vnde magni aestimari possit. Etenim praeterquam quod omnis cum Deo sermo, pius praesertim, laudabilis sit; habet praeterea vnde commendationem merito petat: scilicet ab ipsa Pharetra Diuini Amoris, vnde est depromptus. Deinde, Sacerdos quis fuerit, aut laicus, siue ad rem diuinam faciendam, siue dignè communicandum accesserit, quisquis denique sit, vbi vbi, & quibuscunq; in negotiis versabitur, in hoc libro reperiet, quod ad pium suum propositum conducatur. Omitto, Romae natum esse, in idem depromptum: ex illo scilicet diuite precationum omnium & bonorum thesauro. Omitto duorum piissimorum profecto viro- rum sollicitationem; qui, cum aliis, tum hisce praecipue precationibus inflam- mari se fatebantur. Nec illud commemoro, quod, quales quales olim fuerint:

PRAEFATIO.

(commodiores enim hodie, auctioresq; exhibentur) Ill. Episcopo Cardinali Praenestino & Augustano dicatae fuerint. Sed Sacramento Eucharistiae, humano generi, quid vtilius? quid iis meditationibus, quae huc conducunt, magis necessarium? Eum igitur libellum, Ill. & Rñme Domine tibi dedico: eo nempe animo, quo decet eum, quem tuum totum fecisti, Domino suo benignissimo, clientem patrono, ouem pastori, pectoris sui gratitudinem testatam facere. Res erit, meo quidem iudicio, digna, quae manibus tuis minimè prophanis tractetur. Sunt mihi quidem condita domi alio de genere non pauca; quae hodie (eheu) magna cum iactura communi & mea, in chartophilacio meo iacent. Sed fatius est (vt nunc sunt tempora) ne meminisse quidē, quae habeas. Interim, hoc quidquid est libelli, tibi ante alios Ill. &

PRAEFATIO.

Rñme Domine dicatũ volui, vt Domino, qui adeptus es gloriam in conuersione gentis, & ingressum domus & atrij amplificasti; vt Sacerdoti magno, qui quasi arcus refulget inter nebulas gloriae, & quasi Cypressus in altitudinẽ se extollens, in accipiendo stolam gloriae; vt pastori, quem glorificabit Dominus, & laudabit in benedictionibus, in offerendo gloriae coronam: Rogans, vt eo, quo hæc à me dantur animo, accipere, atq; me, meosque tuo patricinio, tutari velis. Crac. 3. Cal. Octo. 1596.



AD LECTOREM.

Cum tanta sit sacrosanctæ Eucharistiæ sacramenti maiestas, ubi verum Deum, & hominem cum corpore, & sanguine, anima, & diuinitate, Dei filium, Dominum, & Redemptorem nostrum, Iesum Christum, verè, ac firmiter fatemur adesse, ad cuius præsentiam lætantes astant angeli, proni lætantur Archangeli, genibusq; flexis gaudent Throni, eumq; adorantes iubilant Principatus, & Potestates; Dæmones autem semper contremiscunt: in cuius etiam nomine non modò cælestium, ac terrestrium, sed & infernorum genua flecti coguntur: quilibet fidelis Christianus ad hoc tam magnificum, atq; augustum, tremendumq; accessurus conuiuium, summopere rem ipsam perpendere, conscientiamq; suam quàm diligentissimè discutere, ac vestem nuptialem induere debet; ne ad instar illius, de quo legitur in Euangelio, ligatis manibus, ac pedibus, in tenebras mittatur exteriores, ubi fletus tantùm, & stridor dentium sentitur. propterea non ab re Apostolus Paulus nos admonet, inquit: Probet autem seipsum ho-

PRAEFATIO.

mo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini. Indignè autem hunc panem edere videtur, qui licet per pœnitentiam à Confessario suorum obtinuerit remissionem peccatorum, non tamen conuenienti modo, congruâq; deuotione, per vestem nuptialem, pedumq; lotionem intellectis, ad hanc Dominicâ mensam accedit: nam qui mundus est à peccatis scilicet mortalibus, nõ indiget, nisi vt pedes lauet, & est mundus totus, vestemq; induat nuptialem, hoc est spretis omnibus, ac contemptis huius seculi vanitatibus, se totum Deo dedicet, mentemq; retineat candidam, & assiduis orationibus, meditationibusue, tamquam veste nuptiali induat, ornètque, qua discat mentem suam in Deum iterum atq; iterũ, quotiescunq; voluerit, eleuare, gratumq; se Deo reddere, vt ipse conuiua dignus habeatur. Quare vtilissimum omnibus, non solum sacerdotibus sacrificantibus, verum etiam cunctis vtriusq; sexus laicis, ad hanc coenam Dñicam accedentibus, hunc libellum fore arbitrati, in publicũ prodendum curauimus, cum in eo variæ sint collectæ orationes deuotissimæ, ad sacram Syna-

xim pulcherrimè accommodatæ, ante, & post
 sacræ Eucharistiæ sumptionem, feruenti, ut
 res ipsa postulat, spiritu dicendæ, pleræque ex
 Pharetra diuini amoris desumptæ, vnde & no-
 men hic liber accepit, vtpotè varias habens bre-
 uium orationum sagittas in se reconditas, qui-
 bus instructus homo ad Dominicam cœnam, op-
 timè dispositus, atq; præparatus, ante & post ip-
 sam sacrosanctam Synaxim, sua desideria amo-
 ris plenissima, preces videlicet, & gratiarum
 actiones, ut sagittas in Deum emittere potest:
 nam & D. Augustinus has ipsas orationes vo-
 cat iaculatorias, quia sunt quædam, quasi sa-
 gittæ amoris ignitæ ad cor Dei vulnerandum
 emittendæ. Accipe igitur, Candide Lector,
 hunc libellum tam salutiferum, illumq; quotidie
 præ manibus habe, diligenterq; ac frequenter
 aperi, & assiduè perlege, & quod in eo latet
 absconditum tibi ostendetur, per quod cœna
 Dominica dignus reddaris, & Deum tibi be-
 nignissimum, tuq; amantissimum conseruabis,
 animamq; tuam gustu diuini amoris tam
 inebriatam experieris, ut id animo
 sentiri, quàm verbis explicari
 faciliùs possit.

DVO ERRATA COMMISSA
sic corrigito.

Fol. 52. ver. 13. Qui quasi quasi gorges, &c.
Lege, Qui hausi quasi gorges.
Fol. 56. ver. 16. Misereator, lege, Miserator.

EXERCITIA
COMPENDIOSA
efficaciaque.

*Quibus quisq; sese dignè ad celebrandum
sue communicandum possit præparare,
per sui ipsius diligentem examinationem,
mentisq; recollectionem.*

Caput I.

Vtrum liceat quotidie sumere
Eucharistiam.



ANCTVS THOMAS DE
Aquino respondet, quòd Eu-
charistia dupliciter conside-
ratur; vno modo secundū se,
secundū quod confert gra-
tiam, ex opere operato: & quantū ad hoc, nō
solūm quotidie, verūm sæpè in die quolibet
esset fumenda, vt gratia augeatur. Secundo

modo potest considerari ex parte nostra, ex qua requiritur reuerentia & deuotio, & secundum hoc non conuenit, quod homo accedat quotiescunque poterit; sed expectet tempus commodum, quo fit deuotus. Qui igitur se inuenerit cum deuotione, & non distractum, laudabiliter quotidie communicabit, ut patet ex consuetudine primitiue Ecclesie.

Et isti, qui quotidie celebrant, laudantur, quod patet ex autoritate D. Augustini de uerbis Domini: Panis, inquit, iste, quotidianus est: accipe quotidie, ut quotidie tibi proffit; sic tamen uiue, ut quotidie merearis accipere: sed quia sunt multa impedimenta, laudabile est aliquando abstinere.

Gerson super Magistrum, tract. 9. dicit, quod illi, qui frigidi sunt (alioquin sine peccato) recedunt ab Eucharistia, sunt similes illis, qui frigent & nolunt accedere ad ignem. Effectus enim Eucharistie est ipsa deuotio: nunquid prius vis effectum Eucharistie, quam ipsam Eucharistiam? Presbytero igitur laudabile est communicare quotidie. Vnde Grego: 4. lib. Dialog: cap. 55. refert, Cassi

um Narmensem Episcopum quotidie celebrantem, & in celebratione stantem: Et dicit mandatum Domini accepisse, per reuelationē cuidam alteri factā: Operare quod operaris: Non cesset manus tua, non cesset pes tuus, &c.

Et Ambro: Graue est, quòd ad mensam tuam mundo corde, & innocentibus manibus non venimus; sed grauius est, si quia peccata metuimus, sacrificium non reddamus.

Non sum dignus. Hanc de indignitate cauillationem tollit Cancellarius Parisiensis, cùm dicit: Quòd stante conscientia sibi bene conscia de non impedimento peccato mortalis, vel irregularitatis, vel excommunicationis, vel scandali, sacerdos laudabilius facit celebrā, quàm propter solam reuerentiam abstinendo.

Exhortatur nos ad frequentem communionem: Comedite, ait, amici mei, & bibite, & inebriamini charissimi. Expauescis? Oportet vt charitas illum pauorē foras expellat. Indignum te censes tanto mysterio? Operare instanter, & fac omne bonū quod

vis : labora millies millibus annorum , non efficies vt dignus reddaris. Oportet vt te is dignum faciat, qui te ad se inuitare non dedignatur : id autem facturus est, quando tu eiicis ex habitaculo cordis tui, omnes occupationes huius mundi, omniaque quæ displicent oculis diuinis.

DOCUMENTVM SALVBERRIMVM
*pro his, qui frequenter com-
municant.*

IS qui frequenter accedit, diligenter discutere debet, an ex accessu proficiat, an non. Nam certè, cùm ex frequenti vsu, non agnoscit profectum virtutum, & pietatis; timendum est, ne indignè sumat : hanc verò discussionem diuersimodè, diuersi putant esse faciendam. Alij ita, vt si ex frequenti sumptione experiamur minui in nobis reuerentiam sacramenti, & deuotionem non augeri, aut parum abstinenceamus potiùs. Alij verò cogitandum esse putant, quantum ex frequenti sumptione in anima creuerit ad virtutum opera, & quantum contrariæ vir-

tutum passiones sunt diminutæ. Nam qui hoc nullo modo experiuntur, meritò timere debent, & se subtrahere. Sed putamus etiã hoc addendum, ne facilè hi, qui ad hoc vocati sunt, abstineant, eò quòd hîc minor profectus virtutum, vel deuotionis, sicut & diminutio passionum, non sit ex sensuali aliqua experientia discernenda: nonnunquam enim Deus permittit laterè nos profectum nostrú: nonnunquam etiã maximè proficien. permittit grauissimis affligi tentationibus, vt videantur sibiipsis derelicti. Quare si ex hoc abstineamus, fiat vt cum maximè accedendum esset, tunc nos subtrahamus. Igitur deliberatione animi vera, odium malorum, & desiderium verum virtutum si adsint, accedendum est.

QVID DEBEAT COMMVNICATVRVS
facere antequam ad mysticam Domini mensam accedat.

Qui vult circa hoc sacramentum facere quod debet, & quod dignitas tanti mysterij postulat, certum temporis spatium

sibi statuat, in quo ea exequatur, quæ pertinent ad præparationem. Ut autem hac de re latius differamus, & familiarius cum his, qui frequenter communicant, dico, laudabiliter illos facturos, si, uti Moyſes populo mandauit, ut triduo antequam legem eſſet accepturus, ſe præpararet; ſic & illi tribus diebus ſe præparent, ut ſint apti & diſpoſiti, ad accipiendum Dominum, qui adfert legem, non mortis, ſed vitæ, non literæ, ſed ſpiritus, non timoris, ſed amoris. Teſtantur diuinæ literæ, quòd puellæ regis Aſſueri, ſemel tantum in eius conſpectum venturæ, ſex menſibus ſe præparârunt, oleo ſe myrtino vngentes; & ſex aliis menſibus quibuſdam pigmentis & aromatibus vten-tes. Si fecerint hoc illę, ut gratiam inuenirent apud hominem terrenum; quæ præparatio requiretur à nobis, ut gratiã in conſpectu veri Dei inueniamus? Vnam ex præcipuis laudibus B. Mariæ, quibus eam Angelus commendabat, indicat cùm dicit: *Inueniſti gratiam apud Deum.* An arduum nobis & moleſtum videri debeat, facere pro tanta gloria & dignitate, quod mulieres iſtæ

fecerunt, pro tanta vanitate? Qua, quaeso, fronte laborem recusare poterimus, etiam si vires & potentias omnes corporis & animæ sint impendendæ, saltem ut veniamus in gratiam & fauorem Dei, præsertim cum audiamus miseras istas puellas, totam vitam suam consumpsisse, ut in gratiam vnus hominis mortalis venirent? Sed quoniam difficile hoc nobis est; saltem triduo illo, de quo diximus, nos præparare incipiamus, facientes omne illud, quod in nostris viribus positum est. Si autem interrogaueris me, quid illud sit? dico primum esse, ut toto hoc tempore sollicitè ambules, diligentem tui curam habeas, & cōscientiam accuratè examines, caueasq; in omni opere & conuersatione tua, ne quid committas, quod oculos Dei posset offendere, nō tantum mortaliter, sed & venialiter, quantum fieri potest. Nec tantum declinare debemus à peccatis ipsis, sed etiam ab occasionibus eorum, ut sunt, risus immoderatus, lusus, & ioci petulantiores, omnisq; vana conuersatio, & omnia exercitia illa, quæ rarò sine peccato fiunt: non aliter, atqui mulier compta & or-

nata, cū die solenni mundum muliebrem induit, vt in publicum prodeat, diligentissimè cauet, ne manum extendat ad ea, quibus possit contaminari: ita & nos isto tempore sollicitè magis ambulare debemus, quàm quiuis alius; ita & vestiri, vt digni simus venire ad suscipiendum Regem Angelorum, & mensæ illius accumbere.

Ante omnia diligenti cura toto hoc tempore lingua custodiatur, caueaturque, ne verba proferat otiosa, multò minùs criminosa; vt ianua pura & munda conseruetur, per quam cęlestis illa hostia ad animam nostram intrabit. Nec minùs diligenter cor custodiatur, ab omni immunda, vana, & inquieta cogitatione purum: turpe enim est, & indecorum, in lecto, vbi Deus ipse cubabit, aliquid inueniri, quod diuinos eius oculos possit offendere. Et quia locus Deo proprius est Pax (*in pace enim*, ait Psalmista, *locus eius*) oportet, vt isto tempore exulent à nobis omnes inquietudines, & animi perturbationes: lectus enim cęlestis sponsi, vt ait sponsa in Canticis, floridus est, & proinde spinæ & tribuli motuum & cogitationū

debent euelli & eradicari. Si autem necessariò sunt huiusmodi negotia tractanda, quę distractionem poterunt adferre, ea discretionē & modo tractentur, vt sensus animi nō confundantur, aut pax & quies cordis inturbetur.

Porro, si vnquam aliàs, certè his diebus exercitiis spiritualibus, vt sunt meditationes & orationes, assiduè vacare debemus: hæc enim incensa sunt, hæc thura, & thymiamata boni odoris, quibus domus suffitur, in qua talis hospes diuersabitur. Cogitationes autem nostræ, tribus his diebus potissimū, occupētur meditationibus iis, quę ad timorem, amorem, & appetitum cælestis huius panis in nobis excitandum, plurimum conducunt. Etiam non abs re erit, ad sanctam Trinitatem his diebus pias orationes fundere, singulis diebus singulas personas in Diuinitate compellendo, vt largiatur illã gratiam, & puritatem, quam dignitas tanti sacramenti requirit. Inde etiam ad sanctissimã & immaculatam virginem recurramus, supplicantes illi, vt per meritum illius deuotionis, cum qua filium Dei in virginalē ute-

rum concepit, & cum qua postea iam natū
brachiis amplexa est, gratiam nobis impe-
tret, vt & nos eundem filium suum in animā
nostram recipere possimus. Oremus & can-
dem virginem matrem, vt per deuotionem
illam, cum qua post Ascensionem sui filij
communicare, carnemque & sanguinem sui
filij sumere consuevit, amorem & gratiam
nobis apud filium obtineat; vt & nos eum
dignè sumamus. Facientes autem hoc, non
erit etiam inutile, vt diligenter inspiciamus
fidem, deuotionem, amorem, lachrymas, &
gaudium, cum quibus sacratissima virgo
communicabat, & sumebat corpus dilecti
sui filij, tectum velamine specierum sacra-
mentalium, quāmdiu adhuc differebatur
manifesta visio eius pulchritudinis. Consi-
derare enim diligenter, & accuratè pensita-
re magnitudinem & sublimitatem fidei, a-
morisque illius Virginis (id est, cum quan-
ta firmitate, constantia, & certitudine cre-
didit, quòd in isto sacrato pane verè erat
pretiosissimum corpus sui filij, & quā ar-
dens in illa fuit desiderium videndi illum, &
amplexibus eius fruendi) est aliquo modo

gustare lætitiã, & magnitudinem admirationis, ardoremque pietatis sentire, qui in virgineo illo pectore, quo tempore communicabat, latuerunt. Petamus deinde ab illa, vel minimam illius deuotionis scintillam: ea enim satis erit nobis, ad dignè conuiuium hoc adeundum.

Vesperi, cùm manè communicaturus eris, laudabile est non cœnare: aut vt minimum moderatam & sobriam cœnam sumere, nec post illam, fabulis vacare, vel hominum congregationibus interesse: vt quietus sis, & purus, vtque expeditior sis ad bonam noctis illius partem, in istis exercitiis impèdendam, quę magis magisque animũ præparant, in diem subsequẽtem. Quando incumbis ante somnum in bonis cogitationibus & imaginationibus pseuera, Deũ rogans, vt ista nocte liberet te ab omnibus phantasiis, & illusionibus sathane, vt maiori cũ puritate corporis & animę postridie mēsam Dominicam adire possis. Sed & quotiescunq. expergisceris, mox ad eandem cogitationem & orationem recurre. Manè vix adhuc oculis apertis, puta te in brachiis Christi cru-

cifixi iacere, & memoria passionis Domini-
cæ te occupa, in qua toto isto die præcipu-
um studium nostrum ponemus, consideran-
tes immensum & ineffabilem amorem, quo
filius Dei sese pro nobis in ara crucis obtu-
lit, & dorsum suum percutientibus dedit,
pro furtis nostris flagellandum: Charita-
tem quoque, qua motus sese nobis in hac
mensa propinat, in remedium omnium de-
fectuum nostrorum.

Quoniam enim Sacramentum hoc insti-
tutum est in memoriam passionis Domini-
cæ, utilissima, & Deo gratissima, quam isto
die habere possumus, cogitatio & medita-
tio erit de passione Seruatoris; vt hoc mo-
do intentioni & voluntati Testatoris satis-
faciamus.

PRÆPARATIO AD CELEBRA- tionem Missæ.

Sacerdos quilibet, antequam ad celebrã-
dum accedat, conscientiam suam dili-
genter examinet, vitam & mores suos discu-
tjat, quid boni omiserit, quid mali com-

miserit, qualiter tempus expenderit viuaciter consideret. Penset ergo Sacerdos, an diuina præcepta obseruet: Ecclesiæ statuta impleat: an aliis exemplaris existat: an homines vniuersos tam inimicos quàm amicos syncere diligit: an circa omnes charitate & dilectione afficiatur: an iuxta debitum sacerdotalis ordinis virtuosè & irreprehensibiliter conuersetur: an sibi commissos debite regat, instruat, moneat, corripiat, atq; ædificet. Si mente, ore, & opere ab inuisibilibus hostibus animas eorum munire ac custodire non cesset: si bona ecclesię debito modo expendat: si in cibo, potu, somno, vestibusq; moderatè se habeat: si in his atq; similibus, inuenit coram Deo laudabiliter se habere, gratias agat humilimas, ex totis præcordiis Deo altissimo, cuius dona sunt omnia nostra bona, & cuius munera sunt merita nostra. Ideò sibi nihil adscribat, nisi omnem fragilitatem, ad omnia vitia pronitatem: sicque seipsum cū omni sollicitudine custodiat, sicut ait Apostolus: *qui stat videat necadat.* Et Salomon: *Omni custodia custodi ortuum.* Studeatq; quotidie in bonis pro-

ficere, in humilitate, mansuetudine, patientia, deuotione, charitate, crescere ac firmari, & Dei auxilium pro hoc iugiter & fideliter imploret. Porro si in prædictis, aut in aliquo prædictorum, inuenerit se culpabilem, iuxta grauitatem peccati, cordialiter doleat, & emendationem proponat, confiteatur, satisfaciat, emendet, sicque in Deo confidens cum debita humilitate, deuotione & charitate, ad celebrandum procedat: illud Pauli Apostoli profundè perpendens: *Probet autem seipsum homo, &c.* & in alio loco: *Quicumque manducauerit panem hunc, &c.*

PRAEPARATORIA ORATIO.

O Ratio præparatoria erit qua petit à Deo gratiam, vt bene, attente, & cū fructu celebret.

PRIMO Consideret Sacerdos quo vadit, & quid facturus, nimirum ad gratias agendum, pro maximo beneficio à Deo nobis exhibito, redemptionis videlicet, cuius memoria est hoc sanctum sacrificium.

SECUNDO Consideret, se ire, vt offerat illud sacrificium, quod semel oblatum est in cruce, & quo deleta sunt peccata totius mūdi, quod precium est totius redemptionis: quòd si omninò non simus facti liberi, culpam esse nostram.

PRIMUM PUNCTUM considerabis, te propterea ad altare Domini accedere, vt communices & particeps fias tanti sacrificii; vt perpèdens interim, dū res agitur, hoc sanctum mysterium, te, omnesque circumstantes, preciosissimo illo sanguine tingi & ablui debere: & cū in conspectu Dei maximi sis constitutus, quantum deceat te à terrenis eleuari ad cælestia; ita vt in medio ipsarum virtutum cælestiū te esse collocatum existimes.

SECUNDUM PUNCTUM considerabis, ibi esse tuum Dominum, pro te ita humilem factū: & quòd tu ibi sis sæpè corpore præsens, animo tamen absens: ibi esse Deum verum sub inuolucris specierum, ad cuius visionem tu creatus es. Quare graue tibi esse debet & molestum, quòd tam diu illo non fruaris.

TERTIVM PUNCTVM. Considera illum esse ibi flagrantem amore tui, & se frigidum, remissum in eo redamando: eum esse ibi in tuam refectionem, te tamen propter maliciam tuam eum non gustare: quæ tu per culpam sparsisti, ille per gratiam collegit, nec tamen signum illi grati animi damus. Declarat denique in hoc incruento sacrificio se denuo paratum esse de nouo facere, quod in cruce fecit: & nos ex aduerso rarò illi offerimus.

QUARTVM PUNCTVM. Hinc colligas etiam, cum quanta dispositione, & præparatione accedere debeas, cum quanta vigilantia & attentione, reuerentia, humilitate, charitate, & gratitudine.

PRAEPARATIO ALIA.

SAcerdos qui ad sacrum altaris ministerium securè accedere (quantum humana fert fragilitas) desiderat, & Domini Iesu Christi corpus, & sanguinem consecrare, tota deuotione studere debet, vt aliqua obferuet ante Missam, quædam in Missa, quæ

dam in Missa, quædam verò post Missam.

ANTE MISSAM HABENDA

sunt tria.

Intentionis discussio. Generalis contritio.
Pura confessio.

Primò. Intentionis discussio.

Ne vana gloria celebret .s. vt videatur deuotus, & laudetur ab auditoribus : sed pura, ac religiosa intentione ad Dei omnipotentis gloriam, & honorem, Ecclesiæ que utilitatem.

Ne ex auaritia .s. propter lucrum temporale : nam hæc est magna iniquitas.

Ne ex consuetudine, idest sine mentis discussione.

Ne ex timore, idest ne sit reprehensibilis, aut à Prælato punitus.

Ne ex verecundia, idest, ne videatur in deuotus, & aliis dissimilis.

Generalis contritio.

De omisis, quæ facere debuit, potuit, & non fecit.

De commissis, quæ facere non debuit.

De consuetis, & sæpè confessis.

Pura, & vera confessio.

Notabilium, Communium, Ignoratorū
criminum, corde, ore, & opere.

Diligens præparatio.

Circa decentem omnium vestium sacer-
dotaliū exhibitionem, vt .s. fiat benedictæ,
siue consecratæ omnes, nulla deficiente,
mundæ & honestæ, ac decenter aptatæ, ne
videantur indusium, & collaria.

Circa opportunam loci electionem, sci-
licet, Ecclesiæ, vel loci honesti, & sacri.

Circa diligentem altaris ornationem, sci-
licet cum lapide integro, & cōsecrato: dua-
bus mundis mappis, de lino puro ad minus.

Circa præcipuam calicis, & corporalis
mundificationem. Nam hoc sacramentū
purissimum est, in quo est filius Dei patris,
& intemeratæ virginis.

Circa cōgruam materię præparationem,
id est, panem triticeum, vinum vitis bonum,
aquam naturalem & mundam.

Circa assistentis missalis inspectionem.

Circa continuam cerei illuminationem.

Circa deuotam seruitoris, vel ministri

administrationem.

Circa debitā horarum considerationem
s. ab aurora vsque ad nonam, & si ante, vel
vltra, nisi in die Natalis Domini, vel ex spe-
ciali indultu.

Circa integram ieiunii naturalis obser-
uationem, vt .s. nihil per modum cibi, &
potus, vel aliter sumptum fuerit.

Circa corporalem mundiciam, quæ ma-
culatur per pollutionē, si ei causam dederit.

Deuota animę dispositio.

Cum plenitudine fidei: scilicet, firmiter
crecendo, in hoc mirabili sacramento esse
corpus Christi per transubstantiationem: a-
nimam Christi per naturalem colligationē:
Diuinitatem Christi per inseparabilem vni-
onem.

Cum firmitate spei: scilicet, diuinæ pie-
tatis, quòd ex perceptione cælestium mu-
nerum habebit cælestes thesauros.

Cum ardore charitatis. Nam ad sacra-
mentum amoris, non nisi cum ardore cha-
ritatis accedere debet.

Cum pace vnitatis Ecclesiæ: scilicet, ne
sit excōmunicatus, schismaticus, vel hære-

ticus, sed catholicæ Ecclesiæ realiter vnitus.

Cum memoria passionis Christi, ipse enim Christus venerabile hoc sacramentum in suæ passionis memoriam instituit.

Cum dignitate sui: scilicet, vt quantum potest ad tantum sacramentum suscipiendum, se indignum existimet.

Cum puritate conscientiæ: ne forte in eo fit aliquid, quod oculum diuinæ maiestatis offendat.

Cum feruenti desiderio: scilicet, auide, & desideranter ad tam suauissimum conuiuium accedat.

Cum actuali deuotione, per deuotas lachrymas, quasi suūpsius sacrificium offerendo domino Deo, Beatæ virgini, sanctis angelis, sancto, vel sanctæ, cuius festum eo die celebratur. Per feruentes orationes ante Missam deuotè per se dicendas.

Præuia intentio.

Vt intendat in Missa Deum per lachrymas humiliter placare.

Corpus, & Sanguinem Christi cum omni diligentia consecrare.

Mortem Christi, & eius immensam cha-

ritatem memorare.

Totam ecclesiam reuerenter adiuuare, & concorditer adunare.

Amorosa affectio.

Vt desideret consequi ex celebratione Missæ augmentum suauissimæ deuotionis.

Incrementum ardentissimæ Dei, & proximi dilectionis.

Inseparabilitatem feruentissimæ catholice vnionis.

Accelerationem fælicissimæ Diuinæ vnionis.

IN MISSA EXTRA CANONEM.

Discretio in legendo.

Ne nimis clamose, ne .s. alios perturbet.

Ne nimis depresso, vt à circumstantibus audiatur.

Ne nimis festine, vt ab omnibus intelligatur.

Sed distincte, canore, & deuotè legat.

Maturitas in exequendo.

Ne sit curiosus in circumspectando.

Ne leuis in se mouendo.

Ne inurbanus in inclinando.

Ne tædiosus in prolongando.

Ne nimis festinus in terminando.

Sed deuotus, exemplaris, & circumspectus.

In Canone recordatio uiuorum.

Sui ipsius .f. ut eum faciat idoneum ministrum tanti sacramenti, & anima, & corpore in omnibus dirigat, & ad æternam salutem perducatur.

Parentum carnalium, & spiritualium, ut eis necessaria in hoc mundo tribuat, & ad vitam æternam eos conducat.

Benefactorum, & orationibus commissorum, iuxta eorum pia desideria ad salutem animæ, & corporis.

Inimicorum, ut Deus illos illuminet, & peccata dimittat, ac se ab eorum insidiis liberet.

Infidelium, ut ad rectam fidem eos Deus conuertat.

Pacis Ecclesiæ, & dominii in quo est.

Petitionū, quas proponit Deo exponere.

Recordatio defunctorum.

Parentum & propinquorum.

Fratrum & sororum.

Animarum nobis commissarum, pro quibus eleemosynas recipimus, vel sumus recepturi.

Animarum omnium benefactorum.

Animarum omnium in purgatorio existentium fidelium.

Præcipua diligentia.

Ad conficiendū, quia ibi sunt magna signa.

Maiora verbis: ipsa deuotè, & distinctè dicendo.

Maxima intentione, attentionem consecrandi pro viribus applicando.

Præcipua reuerentia.

Ad tangendum propter continentiam excellentis corporis Christi.

Eccellentioris animæ.

Eccellentissimæ diuinitatis.

Præcipua deuotio.

Ad sumendum tantum sacramentum: ipsum cum discretione, & modestia, reuerenter sumendo.

Non in masticando, sed leuius lingua mouendo.

Interiori affectu, panem angelorum suaviter gustando.

POST MISSAM.

Humillima gratiarum actio.

Propter maiestatem hospitis excellentissimi, suæ animæ hospitium ingressi.

Spetiales orationes post communionem attente dicendæ.

Excellentiâ tanti sacramenti deuotè meditando. Deo pro suscepto munere semper fideliter gratias agendo.

Bonorum operum executio.

Ex desiderio gratiæ, quæ in hoc sacramento suscipitur.

Ne subito post communionem corporalem cibum sumat, vt dicit Clemens Papa.

Ne citò post communionem in loco indecenti spuat.

Ne sæcularibus nugis, & negotiis se implicet.

Ne otiosus aliquo pacto inueniatur.

Ne sine aliqua deuota lectione diu permaneat.

Hęc feruenter, sollicitè, deuotè, & amanter sunt ruminanda.

ALIA POST MISSAM OBSERVANDA.

Quoniam post augustissimi sacratissimi-
 miq̄ue saluatoris nostri IESV Christi
 corporis sumptionem, à fidelibus, piisque
 conuiujs, Deo iam vnitis, Christoq̄ue Iesu
 incorporatis, omni opera est adhibenda, vt
 non solùm in diuinis meditationibus, Deo
 de tanta elargitione gratias agere, verùm
 tum internè, tum externè ita se dare, con-
 seruareq̄; debent, ne tanti immemores be-
 neficii se reddentes, vt ingrati damnentur,
 vel indigni, æquum ac necessarium iudica-
 uimus esse, pioq̄ue populo utilissimum fo-
 re, si suprascriptis diuinis laudibus, sanctissi-
 misq̄ue gratiarum actionibus, hæc quæ se-
 quuntur paucula addiderimus.

Primò, fidelis quilibet tanti edulii iam fa-
 ctus conuiuia, quantum receperit benefici-
 um perpendere, Deumq̄; pura mente, cor-
 deq̄ue contrito, & humiliato amplecti, ac
 se totum sanctis cogitationibus, desiderijs
 cælestibus, & orationibus, ac bonis occu-
 pare debet operibus, semper Deo pro hoc
 tanto, atque inæstimabili accepto benefi-

cio, quo ipsum sanctissimo ac tremèdo corporis, & sanguinis sui sacramento misericorditer refecit, vitæque æternæ cibo largiter cibavit, gratias agendo.

Secundò, hunc tantum, atque mirificū conseruare debet hospitem, quem ore, corde, & anima intra se suscepit, vt secum misericorditer habitare, & spiritualiter cibo isto deifico eum nutrire dignetur, qui vitā sustentat spiritualem, gustum delectat interiorem, virtutes reficit debilitatas, & vires humanas permutat in supernaturales, hominemque in omni bono contra omnes diaboli, mundi, & carnis quaslibet tentationes munit, & fortificat, auxiliumque præbet, dat & augmentum. Quapropter in hac optima animi sui dispositione perseuerare, Deumque quilibet rogare debet enixè, quòd omnes nostros sensus, potentias, animæque vires, efficaci virtute præsentiae corporalis Domini nostri Iesu Christi colligere, vnire, & regere in seipsum nos perfectissima vnione transformando, dignetur; ita vt corpus suum, animaque nostra, & cor nostrum, sua benignitate, & gratia, vnum & idem fiant,

perseuerentque; & omnes quinque sensus nostri, amor, voluntas, corporisque membra, ac denique vires, cunctæque potentia in ipsum Deum, vt illum solùm in anima, & corpore sentiamus, & conseruemus, dirigantur.

Tertiò & vltimò, qui hoc vitali est relictus alimento, omni studio, maximè quãdiu Sacramentales species esse reputantur in pectore, ab omni irreuerentia, vanitate, risu, & leuitate, se debet reseruare: quo tẽpore ab expuendo etiam, ac cibo, seu potu omninò abstinabit. Deinde vt tanti sacramenti fructum retineat ac conseruet, totis suis viribus, quantum poterit, curam habebit, ad sancti spiritus influentiam, cum diuinæ gratiæ abundantia, suam disponendo animam. Quod idem Dominus noster Iesus Christus infinita sua bonitate, & incomprehensibilis suæ charitatis virtute, dignetur præstare. Qui cum Deo patre & spiritu sancto, viuit & regnat Deus in sæcula sæculorum, Amen.

B E R N A R D V S.

COrpus Christi ægrotis est medicina: peregrinantibus dieta: debiles confortat: valentes delectat: languores sanat: sanitatem conseruat: fit homo mansuetior: ad correctionem patientior: ad laborem ardentior: ad amorem sagacior: ad cautelam atque obedientiam pronior: ad gratiarum actionem deuotior; & in omnibus gestibus, & moribus compositior.

BEDA PRESBYTER.

ACcede ergo ad altissimum sacramentum, & communionem propter Trinitatis gloriam, angelorum lætitiã, hominum gratiam, animarum veniam, ordinationem mentis, informationem intellectus, verborum veritatem, famę claritatem, desideriorum puritatē, animi stabilitatem. Ista fit tota tua intentio, & finalis deuotio.

Sacerdos ergo, qui sine peccato est mortali, & in bono proposito; si non celebrat, cælestem Trinitatem priuat gloria & honore, ipsos angelos in cælesti patria gaudio & lætitiã, homines in terra laborantes benefi-

cio & gratia, animas in purgatorio degentes patrocínio, & venia, seipsum autem priuat ordinatione mentis, informatione intellectus, verborum veritate, famæ claritate, desideriorum puritate, animi stabilitate.

AUGUSTINVS DE DIGNITATE
Sacerdotum.

OVeneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus Dei filius, velut in vtero virginis, incarnatur. O felices sacerdotes, si sacerdotaliter vixeritis. O cæleste mysterium, quod per vos pater, & filius, & spiritus sanctus tam mirabiliter operantur super tam ineffabili ministerio vestro, quod vno eodemque momento idem Deus, qui præsidet in cælo, in manibus vestris est in sacrificio. Cælum miratur: horrescit infernus: contremiscit diabolus: reueretur quàm plurimum angelica celsitudo. Quid retribuam domino (vt taceam de cæteris, quæ tribuit mihi) pro tam singulari dono sacerdotij mihi impenso, quod est datum optimum, & donum perfectum? verbi gratia: ille, qui creauit me sine me, creatur medi-

ante me. Et ille, qui ex nihilo cuncta creauit, sine me (si fas est dicere) dedit mihi creare se. O venerabilium sanctitudo manuum. O felix exercitium, vbi tractat Christum sacerdos, Dei filium, cuius deliciae sunt esse cum filiis hominum. O sacerdotes, attendite: maior est dignitas vobis collata, quàm Angelis, qui adorant, quod vos conficitis, nec ipsi conficere possunt. O altitudo sapientiae Dei. O ineffabilis clementia saluatoris. Quod datum non est angelis, concessum est homini. Sacerdos hoc sacramentum ineffabile conficit: angelus conficienti sibi quasi famulus assistit. O quàm venerabile, quàm gloriosum, quàm insigne fuit apud antiquos nomen sacerdotij: sed hodie quid abiectius eo? quid vilius? O sacerdotes, si anima cuiuslibet iusti sedes Dei sit, multò magis sedes, & templum Dei esse debetis mundum & immaculatum. Si sepulchrum eius gloriosum est, in quo corpus iacuit exanime; gloriosiora, & digniora esse debent corpora vestra, quæ à morte suscitatus quotidie dignatur inhabitare. Si beatus est venter, qui nouem mensibus Christum

portauit; ita & si non tantum, tamen beata debent esse corda vestra, in quibus quotidie elegit sibi hospitium filius Dei. Si beata sunt vbera quæ paruulus suxit: ita debet esse os beatum, quod carnem eius sumit, & sanguinem fugit. Carnes ergo vestras cum timore eius configite, & vobis diligenter prouidete, ne lingua loquendo, quæ vocat de cælo filium Dei, contra Dominum loquatur. Et ne manus, quæ intinguntur sanguine Christi, polluantur sanguine peccati, &c.

HIERONYMVS.

Grandis dignitas Sacerdotum, sed grandis ruina si peccant: lætemur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum. Non est tanti gaudij excelsa tenuisse, quanti mœroris de sublimioribus corruisse. Nec enim solum pro nostris delictis reddemus rationem, sed pro omnium, quorum abutimur donis, & nequaquam sumus de eorum salute solliciti.

GREGORIVS PAPA.

Tantum debet actionem subditorum actio transcendere rectoris, quantum

distare solet à grege vita pastoris. Oportet namque vt metiri sollicite studeat, quanta tenendæ rectitudinis necessitudine cōstringitur, sub cuius æstimatione populus grex vocatur. Sit ergo necesse est cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus in silentio, vttilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, benè agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum iustitiæ erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum prouidentiam in internorum sollicitudine non relinquens.

I S I D O R V S.

Qui enim in erudiendis, atque instituendis ad virtutem populis præerit, necesse est vt in omnibus sanctus sit, & in nullo reprehensibilis habeatur. Qui enim alium de peccatis arguit, ipse à peccato debet esse alienus. Primitus quippè rector semetipsum corrigere debet, qui alios ad bene viuendum admonere studet, ita vt in om-

nibus semetipsum formam viuendi præbe-
at, cunctosque ad bonum opus, & doctrina,
& opere prouocet. Cui etiam & scientia
scripturarum necessaria est: quia si rectoris
tantū sancta sit vita, sibi soli potest prodesse;
porrò si & doctrina, & sermone fuerit erudi-
tus, potest cæteros quosque instruere, & do-
cere suos, & aduersarios repercutere, qui ni-
si refutati fuerint, atque conuicti, facile pos-
sunt simplicium corda peruertere.

CYPRIANVS PAPA.

QVando autem stamus ad orationem,
fratres dilectissimi, inuigilare ad pre-
ces toto corde debemus: cogitatio carnalis
hominis, & secularis abscedat, nec quicquã
tunc animus aliud quàm id solùm cogitet,
quod precatur. Ideò & sacerdos ante orati-
onem præfatione præmissa parat fratrum
mentes, dicendo, Sursum corda: vt dum re-
spondet plebs, Habemus ad Dominum, ad-
moneatur, nihil se aliud quàm Dominum co-
gitare debere: claudatur contra aduersariū
pectus, & soli Deo pateat, nec ad se hostem

Dei tempore orationis venire patiatur.

P A V L I V S.

Qui benè præfunt presbyteri, duplici honore digni sunt: maximè qui laborant in verbo & doctrina.

D. A V G V S T I N V S.

Nemo in Ecclesia Dei magis nocet, quàm qui peruersè agens, nomè vel ordinè sanctitatis & sacerdotis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur.

C H R Y S O S T O M V S.

Nam eum, qui pro omni ciuitate, (quid autem dico pro ciuitate? imò pro vniuerso mundo) legatione fungitur, & deprecatur, iniquitatibus omnium propitium Deum fieri, non solùm viuentium, sed etiam mortuorū, qualem putas esse debere? Ego quidem Moyfi, & Eliæ confidentiam huic non puto supplicationi posse sufficere: sicut

enim is, cui sit commissus vniuersus mundus, & qui sit pater omnium, ita accedit ad Deum, obsecrans extingui quidquid vbique pugnarum est, dissipari tumultum, placari omnia, & tam priuatis malis, quàm publicis imponi finem.

CHRYSOSTOMVS.

Multi sacerdotes, & pauci sacerdotes: multi in nomine, & pauci in opere. Videte ergo quomodo sedeat super cathedram: quia cathedra non facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram: non locus sanctificat hominem, sed homo locum. Qui benè sederit super cathedram, honorem accepit ab illa: qui malè sederit, iniuriam facit cathedræ. In iudicio enim sedes: si benè vixeris quidem, & benè docueris, omnium iudex eris: si autem benè docueris, & malè vixeris, tui solius. Nam benè viuendo, & benè docendo, populum instruis, quomodo debeat viuere: benè autem docendo, & malè viuendo, instruis Deum quomodo te debeat condemnare.



Caput II.

PRO EXPIATIONE AC REMISSIONE peccatorum.

ORATIO I.

PATER NOSTER, &c. Sed libera nos à malo præterito, præfenti, & futuro: pro quo auferendo orare te cupio dulcissime Pater noster, cum Dei, & proximi amore ardentissimo, dicens:

Deus, qui voluisti pro mundi redemptione incarnari, circumcidi, à Iudæis reprobari, à Iuda osculo tradi, capi, vinculis alligari, quasi agnus innocens ad victimam duci, ante conspectum Annæ, Caiphæ, Pilati, & Herodis indecenter offerri, à falsis testibus accusari, flagellis, & opprobriis vexari, spinis coronari, sputis conspui, colaphis cædi, crucifige crucifige super te clamari, morte turpissima condemnari, cruce grauissima onerari, ante crucem impudenter nudari, clavis ferreis dirissimè perforari, in cruce leuari, inter latrones reputari, felle & aceto potari, in cruce mori, & mortificari, lanc ea

vulnerari, & sepeliri. Tu Domine, per has sanctissimas passiones tuas, quas ego indignus recolo, libera me ab omnibus peccatis meis, & à poenis inferni, & purgatorij, iustè pro his debitis: & per sanctam crucem tuam per ducere digneris me miserum peccatorem, quò perduxisti tecum crucifixum latronem. Qui cum patre & spiritu sancto viuis & regnas, Deus per omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO II.

OMnipotens, & mitissime Deus, fons viuens & indeficiens, qui sitienti populo in deserto fontem aquæ de petra eduxisti, educ de cordis mei duritia perfectæ dilectionis, & veræ compunctionis lachrymas, vt peccata mea omnia & singula, præterita, præsentia, & futura sic plangere valeam, vt plangenda vltra non committam. Et ad verè cognoscendum ac purè confitendum ea quæ non sum confessus, vel minus benè confessus peccata, & quæ sunt haud satis emendata, aut ad emendandum, & di-

mittendum, ea omnia cum satisfactione debita minus videor paratus, vel qualitercunque de voluntate tua mihi sunt imposita, obsecro & inuoco singularem gratiam tuam, & me totum tibi offero, adeò vt omninò nihil de voluntate mea retineam, sed tuã semper adimpleam, sicuti etiam de tua gratia, & speciali dono, ad hæc omnia & singula tibi placita, me totum promptum & voluntarium omninò cum omnibus meis meliori quo possum modo, tibi offero, resigno, dedo, atque iterum iterumque trado. Et in hoc etiam firmissimè vsque ad mortem perseverare propono, siue ad vitã, siue ad mortem, siue ad lucrum, siue ad damnum, siue ad supplicium, siue ad gaudium accedendũ sit, obsecrans; vt sumas me totum semper ad tuum honorem, & beneplacitum, & nunquam ad meum desiderium, vel quodcumque tibi displicens, vel contrarium. Et si aliud quicquam occurrerit, quod tibi displiceat, sicut verisimiliter timeo, hoc utiq; ego non volo, sed illud perpetuò reuoco, & reuocatum, irritum, & inane in conspectu tuo fore, summè peto, & desidero, quatenus te

miserante, tuæque passionis merito meditante, plenam percipiam omnium peccatorum meorum præteritorum, præsentium, & futurorum remissionem, & veniam, & statim post hanc vitam vniri tibi valeam, & recipi in vitam æternam, ad tuam gloriam, cū congratulatione, & gaudio piissimæ matris, & omnium sanctorum tuorum, per omnia secula seculorum. Amen.

O R A T I O III.

ECce, mi amantissime Dñe Iesu Christe, hîc coram te Domino meo tremendo, reuerendo, & summè diligēdo, ego me prosterno, & extendo, non quòd ad hoc me dignum quocumq; modo præsumam, & multò minus ad accedendum te verè tremendissimum, & reuerendissimum Dominum, & ad accipiendum te in me verè indignissimo, præsertim in isto tuo maximè reuerendo sacramento, etiam angelicis spiritibus, & potestatibus tremendo, me dignum præsumere audeo, sed hoc ex humili confidentia in tuam bonitatem, & clementiam infi-

nitam facio, supplicaturus pro peccatis superbiae, gulae, luxuriae, irae, inuidiae, ac aliis omnibus, & singulis criminibus meis commissis, & bonis omisis, nimis, multipliciter & grauissimè, heu, heu, heu, contra te Deum meum, ac contra proximum meum, & contra meipsum vnquam perpetratis, vt des mihi illa omnia humiliter cognoscere, deplangere, & poenitendo emendare. Idcirco autem pro quolibet tali peccato dimittendo, beatissimam virginem Mariam matrem tuam, & omnes sanctos tuos, praesertim in charitate, & omnibus virtutibus, culpis meis pro tempore occurrentibus, & per me tibi, & sacerdoti confessis, contrarius, magis praecclaros inuocaui: quia de gratia tua, & illuminatione, benè cōsideraui, quòd non sum dignus apparere, vel verbum proferre in conspectu tuo. Ideò summopere indigeo ipsorum auxilio, consilio, & suffragio: quum etiam non ignorem te velle nos inuocare sanctos tuos, & te in eis, & eos in te sic laudare, & honorificare, licet non sit speciosa laus in ore peccatorum, quorū primus ego sum: propter hæc, & innumerabi-

lia peccata mea, quibus, heu, heu, heu, nimis inquinatus sum. Sed quia pro his omnibus me diu non condemnasti, sicut verè iustissimè merui, neque digne me flagellasti, sed insuper ab innumerabilibus flagellis & periculis mentis & corporis me præseruasti, & vsque in hanc horam misericorditer conseruasti, & super hæc omnia me tam indignum infinitis beneficiis honorasti, specialiter tamen beneficio charitatis tantæ ac talis (quam mihi misero & indignissimo de nimia pietate tua dudum donasti) quòd, in quantum possum capax esse, & tu me uolueris iuuare, volo summe, summe, summe, imò si possem dicere plus quàm maximè, in omnibus, & super omnia, sine omni mensura, te superare. Et propter illum amorè etiam proximum meum, non tam amicum, quàm & inimicum, sicuti meipsum in omnibus diligere, & eundem amorem tempore & locis opportunis, veraciter & cum effectu demonstrare. Et pro eodem amore tuo omnia peccata mea cum primis, deinde & vniuersa peccata, ab initio mundi perpetrata, & vsq; ad finem seculi, contra amo-

rem & honorem tuum vnquam perpetranda, continue & actualiter vel habitualiter plangere & deplorare: illaq; confiteri, & secundum posse meū ad satisfaciendum pro eisdem iuxta tuum beneplacitum, me omnino promptum & beneuolum demonstrare. Ab omnibus quoque & singulis peccatis illis de cætero propono abstinere & cessare: ita vt potius omnia supplicia, etiā mortem millies sustinere velim, quàm ex certa scientia, plenaūe deliberatione, non modo mortaliter, aut criminaliter, sed etiam venialiter contra tuum amorem & honorem vnquam peccare.

Quòd si contigerit, me vlllo vnquam tempore, contra tam fixum, deliberatumq; propositum meum, quocunq; etiam peccato graui, aut leuite quoquo pacto offendere (vt verisimiliter tinreo, quòd peccatis meis exigentibus hoc possit pluries contingere) tūc in illo non volo iacere, aut permanere, sed quàm citò tu mihi dederis illud cognoscere, & me adiuueris, resurgere, & pœnitentiam, pro illo toties quoties opus fuerit, debitam agere, firmiter propono, iuxta tuum

pro remissione peccat. 43

beneplacitum, & vicariorum tuorum confessorum meorum, clauēs scientiæ & potētiæ super me verè habentium, & me ab illo, virtute eorundem clauium liberare valentium, voluntatem.

Et ad cognoscendum in istis & in cæteris (quantum valeo) beneplacitum tuū, nec non ad veram differentiam peccatorum venialium, mortalium, & criminalium, & per quos ab illis liberari, & etiam quos ego à talibus absoluere vel possim, vel non possim, ne falsa opinione meipsum decipiam malè absolutus, neque alios malè absoluendo, volo omne studium debitum applicare, ne in hac parte, propter crassam ignorantiam, habeas me iustè ignorare. Et insuper studere ad discendum & sciendum omnia alia debita mea, & ad implendum omnia virtutum exercitia ad me spectantia. Et ad sufferendum patienter & libenter, imò cum gaudio spirituali, omnia aduersa & supplicia, tum in corpore, tum in anima, volo tibi animū promptum exhibere, aptare & resignare. Et in his omnibus & singulis cæterisq; tibi placitis, & mihi clarè cognitis, vsq; in finē perseuerare.

At quia nihil horum sine te facere, neque consummare potero, desidero valdè te in adiutorium, per tui corporis sanctissimum sacramentum (quamvis ad hoc verè nimis indignus sim) intra meipsum hodie suscipere; cognoscens certissima fide, quòd tu velis de tua incomprehensibili bonitate & pietate, ad me quantumvis indignum, dignanter, libenter & humiliter descendere, & cù eodem sacramento ad me intrare, cum tota tua diuinitate, & humanitate, & me ad supradicta omnia (in quantum tu cognoueris illa fore pro salute mea, siue pro tua gloria) fidelissimè adiuuare.

Ex istis quoque datur mihi magna confidentia, hìc nunc, & in tua reali, & personali indubitata præsencia orandi, & te humiliter deprecandi pro tali clementia, quòd [isti sacerdoti nunc missam celebranti, &] omnibus qui te sacramentaliter hodie in se sumperint, velis donare, quòd ipsi, & nos omnes, qui hoc desideramus, te spiritualiter sic sumamus, quod non in peius, sed in melius proficiamus, & de virtute in virtute quotidie eamus, & in hoc vsque in finem sic per-

seueremus, vt post huius vitæ finem, illuc sine dilatione perueniamus, quòd facie ad faciem clarissimè videamus te Deum deorum, Dominum dominorum, & delectum delectorum, in superna Syon, in secula seculorum. Amen.

Heu, heu, heu, Domine Deus meus, quòd te sic grauitèr offendi. Deus propitiùs esto mihi peccatori. Miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam, &c.

EFFVSIO CORDIS GENERALIS
pro peccatis remittendis.

Heu mihi infelix anima, in tantis peccatis, in tantis periculis criminum, in tam multis iniquitatibus, quid primùm plorem? quid primùm plangam? quos luctus priùs, quas lachrymas fundam? Non sufficit referre memoria tantorum criminum gesta. Peccata quoq; mea mihi sensum doloris tulerunt. Obrigit animus, nullo mœrore compungitur. Anima mea in stuporem conuersa est: insensata facta est anima mea.

O lachrymæ, quò vos seduxistis? vbi estis fontes lachrymarum? vbi es mœroris vnda? vbi estis lamenta? Redite, obsecro, lachrymæ. Mouemini in me fontes lachrymarum, aspergite me fletibus, fluite super faciem meam, humectate maxillas meas, genas irrigate, date mihi planctum amarû. Cæteris omnibus ego grauius corruui, inter omnes deterius cecidi, omnium impiorum pœnas scelere meo vici. Tartarea tormenta vix malis meis sufficiunt. Non est peccatum super peccatum meum, non est iniquitas super iniquitatem meam. Nequiores me cunctis iudico. Comparatione mei nullus iniquus est. Iustè pœnas debitæ infelicitatis exoluo, iustè tantis suppliciis crucior. Ex meo peccato mala mihi omnia aduenerunt.

Deus ista in me infligit iusto iudicio, reppenditur factis meis congrua merces; minus tamen retribuitur mihi, quàm ipse deliqui. Leuius torqueor, quàm mea meruerunt peccata, leuior est peccato meo pœna damnationis, grauius est, quod commisi, leuius est, quod tolero. Grauior est culpa,

quam feci, minor vindicta, quam perfero. Penso malum quod gessi, non est tantum quod patior. Leuior est poena mea, pondere peccatorum meorum.

Aliud est prorsus, aliud quod amplius me affligit, quod me magis contristat, quod me magis perturbat, quod me magis terrificat, cui simile malum nullum est: incomparabilis est poena, quae omnibus poenis antefertur, quae antecellit cuncta tormenta, quae exuperat omnia mala. Metuo diem iudicij, metuo diem tenebrarum, diem amarum, diem durum. Perpendo quidem malum quod tolero; sed amplius quod restat formido. Lugeo quae in hac vita iam patior; sed metuo post hanc ne grauiorem patiar sententiam. Iam tolero poenarum tormenta, & gehennam formido ex culpa. Iam praesens poena me laniat, sed futura magis conturbat. Grauia sunt, quae sustineo, grauiora in perpetuum timeo. De praesentibus quidem poenis doleo, sed de futuris amplius ingemisco.

Succurre mihi Deus meus, antequam me tartara rapiant, antequam flamma combu-

rat, antequàm tenebræ me inuoluant. Subueni, priusquàm ad tormenta properẽ, priusquàm gehennæ ignibus deuorer, priusquàm sine termino crucier : Reus enim iudicij tui terreor conscientia peccati.

Iram tuam formido immanitate sceleris, examen tuum trepidus conscientia metuo. Si enim iustus vix saluabitur, ego impius vbi ero ? Quid faciam, dum venerit tremendi formido iudicij ? Cùm examen iudicij venerit, quid respondeã ? Quid dicturus, cum ante tribunal Christi fuero presentatus ? Væ diei, in quo peccaui ; væ diei, quando transgressus sum. Vtinam non illuxisset mihi, vtinam super me nõ apparuisset. O dies detestanda, ô dies abominanda, ô dies penitus nec dicenda, quæ me in hoc seculo protulit, quæ mihi claustra partus aperuit, quæ ortus mei ostia reserauit.

Dies illa à luce in tenebras permutetur, densa illam caligo obscuret ; æterna illam cœcitas obruat : Amittat temporis statum, omni memoria extinguatur, nullis digna seculis memoretur. Meliùs mihi fuerat non esse ortum, meliùs non fuisse genitum, me

liùs non fuisse in seculo procreatum, quàm æternos perpeti cruciatus.

Flete me cælum & terra, luge me omnis creatura, plorate me omnia elementa, ingemiscite super me vniuersum animantiũ genus, & quo potestis vitæ sensu super me lamentum fundite: Peccaui enim crudeliter, cecidi grauiter, corruui miserabiliter. Nullũ inuenitur peccatum, cuius sordibus nõ sim coinquinatus, nullus est morbus vitiorum, à quo non contraxi contagium, nulla sordium sententia extitit, quæ in me miserum non confluxit. Probrosus, sceleratus, flagitiis cunctis obrutus, impudicitiam foeditatis innumerabiliter frequentauit.

Vt benè viuerem, vltro promisi; quod pollicitus sum, nunquam seruauit. Semper ad peccatum meum redij, semper delicta mea iterauit; nunquam prauos mores mutauit, nõquam à malis factis recessi: plurimos prauis moribus in iniquitatẽ conuertit: scelere meo multæ animæ perierunt: exemplis vitæ meæ multi subuersi sunt. Ego multis causa malorum fui: per me bonum multorum propositum impeditum est.

Orate pro me Dominum, viri sancti, obsecrate pro me plebs omnis sanctorum, si fortè misereatur mihi Deus, si fortè recipiat me, si fortè deleat peccatum meum, si fortè misericordiam præstet mihi.

Iratus est enim super me nimis, complet furorem suum in me, effudit iram indignationis suæ super me, propter multitudinem iniquitatis meæ: quia creuerunt auersiones, quia multiplicatæ sunt præuaricationes.

Væ mihi, quia consumptus sum: væ mihi, quia defecit anima mea afflictæ mœrore, contristata luctu, extenuata gemitu. Quis miserebitur tui anima? quis consolabitur te? quis dabit lamentum pro te? Magna est, sicut mare, contritio tua, afflictio tua sicut pelagus, dolor tuus quasi fluctus tumens. Quæ tempestas non ingruit super te? quæ miseriarum procellæ non acciderunt tibi? Plena es tempestatibus anima, omnes moles molestiarum, & omnes turbulentissimæ tempestates super caput tuum irruerunt.

Vbi es, ô custos hominum? Cur spreuisti me? Cur auertisti faciem tuã à me? Vbi

es animarum redemptor? Ut quid longè factus es à me, consolator animæ meæ? Reuertere iam Deus meus, non mei obliuiscaris in finem, non me in perpetuum deferas, non me ad perdendum in potestate Dæmonum derelinquas. Licet offensus sis grauius; tu tamen clemens, pius, & multæ miserationis nullum relinquis, nullam recusas animam, sed vltro ferens clementiam, peccantes expectas, vt redeant. Quanti scelerati, quanti luxuriis dediti, concupiscentiis inquinati, bonitate tua ad indulgentiam peruenerunt?

Ostende & mihi clementiam tuam, pateat mihi venia, pateat indulgentia, non abneges vni, quod plurimis contulisti. Scelera mea non defendo, peccata mea nō iacto. Displicet mihi quod feci, displicet quod peccaui, errorem confiteor, culpam cognosco, vocem confessionis aperio.

Suscipe, quæso, vocem confitentis, attende vocem precantis, audi vocem peccatoris clamantis: Peccaui, Deus miserere mei, peccaui, Deus propitiare mihi, parce malis meis, ignosce peccatis meis, indulge sceleribus

meis, dele culpas meas gratiâ tua. Si enim iniquitates recordaberis, quis sustineat? Ad examen tuû nec iustitia iusti segura est. Quis enim iustus, qui se dicere audeat sine peccato esse? Quis præsumet coram te aliquid de iustitia? Nullus enim est mundus in conspectu tuo. Ecce inter sanctos nemo est immaculatus; ecce, qui seruiunt ei, sunt instabiles, & in angelis reperta est prauitas. Stellæ nõ sunt mundæ coram te, cæli non sunt mundi in conspectu tuo; quantò magis ego abominabilis, & putredo, & ^{hauf} ~~quis~~ finis hominis, vermis & non homo? Qui ^{hauf} ~~quis~~ quasi gurges peccatum, & bibi, quasi aquas, iniquitatē. Qui commoror, & qui habito in domo lutea, qui terrenum habeo fundamentum.

Memento Domine, quæ sit mea substantia, memeto quia terra sum, memento quia cinis & puluis sum. Operi manuum tuarum porrige dexteram, consule infirmæ materiæ, succurre carnali fragilitati, infirmæ conditioni pateat regressus salutis, pateant aures tuæ misericordiæ indignis supplicationibus meis. Sana Dñe vulnera mea, solue, priusquã moriar, meorum vincula peccatorû. Amē.

O R A T I O II.

O Pater omnipotens, pie, & misericors, ego miser & vilis peccator, cum tanta humilitate, quanta mihi possibile est; Et cum plena, erga immensam bonitatem tuam fiducia, pedibus tuis prouolutus; confiteor tibi omnia magna & graua peccata mea, quibus in hanc vsque horam te benignissimum patrem offendi. Quodque non timui execranda illa perpetrare scelera, quæ dilectus vnicus tuus, tam cruciabiliter diluit, & tanta cum amaritudine expiauit.

Confiteor etiam tibi (clementissime pater) multam & magnam ingratitude meam, quod ad hanc vsq; horam supra modum ingratus fui, & tibi & filio tuo, pro omni amore, benignitate & fidelitate, quæ mihi exhibuisti. Quod tot iam annis in mea mihi malitia & peccatis tam longanimiter pepercisti, omnemque iniuriam & contemptum tibi à me per inobedientiam & maleuolentiam meam irrogata, benignè tollerasti, nec non tanta cum benignitate me expectasti ad pœnitentiam, quo posses quandoq; ob-

tinere cor meum ad extruendum in eo habitaculum tibi, & infundendum illi amorem tui.

Ah quoties, ô Domine Deus meus, pulsasti ad ostium cordis mei per inspirationem tuam, beneficiis blanditus es, consolatione allexisti, afflictionibus compunxisti? Et tamen repulsam passus es, & semper dorsum tibi verti: quod ipsum tamen benignè sustinisti. O quàm iustè in abyssum me inferni detrudere poteras, & clementer mihi percisti. Mirum certè est, ô pater dulcissime, si non disrumpatur præ contritionis vehementia cor meum, dum ista recogito. Mirum est, non esse vltas creaturas tuas, omniaque simul elementa iniuriam & contemptum, quæ tibi per multiplices irrogavi iniquitates meas.

Sed nunc, fidelissime pater, miserere, obsecro, mei, & conuertere ad me miserum ac desolatum peccatorem oculis diuinæ gratiæ & clementiæ tuæ. Aperi mihi viscera benignitatis tuæ, meque in gratiam recipiens, ignosce quòd tam diu distuli ad te conuertere. Pande mihi paternum pectus tuum,

& infunde mihi nutrimentum & corroboracionem gratiæ tuæ. Quæso, Domine Deus, operare nunc velociter in me id, cuius gratia mihi hucusque pepercisti, & ad quod ab æterno me præordinasti. Nam etsi super numerum sunt peccata mea, etiam misericordiæ tuæ non est numerus.

Memento, pie Domine, consolatorij verbi illius, quod locutus es per Prophetam quendam tuum, dicens: Tu verò fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuere ad me, & ego te suscipiam. Nimirum pater ineffabilis misericordiæ, multum in hoc verbo dulcissimo confido, totoq; me corde ad te conuerto, ac si nemini præterquam mihi soli istud dixeris, meq; per ipsum vocare voveris. Ego namque immunda hæc & infidelis anima sum, filius hic prodigus & inutilis, qui infeliciter me à te patre luminum, à quo cuncta bona promanant, ab alienavi, ac velut ovis errans procul à te aberravi, perditis atque destructis omnibus illis largissimis donis tuis, quæ tam profusa mihi concesseras liberalitate.

Reliqui te fontem aquæ viuæ, & fodi mi-

hi cisternas, consolationes externas querendo, quæ tamen continere non valent aquas, cum omnis temporalis caducaque delectatio velut fumus celerrimè euanescat. Reliqui etiam te panem vitæ, & siliquas porcorum edi, sequendo appetitus sensuum, & insensatis indulgendo affectibus. Deserui te summum, perfectissimum, perenneque bonum, & ad terrena labentia defluxi. Ideoq; verè nudus, pauper, miser, & immundus effectus sum, & vt iumentum in stercoreibus & fordibus meis computrui. Sed oro te pater, ne memineris contemptus & iniuriæ, quæ à me accepisti.

O R A T I O III.

Miserator & misericors, magne & terribilis Deus: Tibi confiteor delicta mea, tibi patefacio vulnera mea, tu propter ineffabilem bonitatem tuam confer mihi misero medicinam. Tu enim mitissime dignatus es dicere: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat: Confiteor quia iniqua est & peruersa in conspectu tuo vita

mea, lapsa est in lacum miseriae vita mea, extincta est in iniquitatibus anima mea. Libido, delectatio prava, opera nefaria, ira, superbia, impatientia, malitia, inuidia, gula, ebrietas, furtum, rapina, mendacium, periurium, scurrilitas, stultiloquium, murmurationis, detractio, ignorantia, infidelitas, diffidentia, mandatorum Dei negligentia, ceu lues & pestis, occiderunt animam meam. Pollutum est cor meum, & labia mea. Visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus, eneruauerunt in peccatis animam meam; & prauis cogitationibus actionibusque perditus sum. Quæso, Domine Deus, cuius miseratio non habet finem, attrahe me ad te, sicut attraxisti mulierem peccatricem. Sicut donasti illi ne cessaret osculari pedes tuos, rigare lachrymis, & extergere capillis: sic mihi clementer concedere dignare, ut secundum magnitudinem iniquitatum mearum sit magna dilectio tua in me, ut propter immensam pietatem tuam omnia dimittas peccata. Largire mihi de præteritis malis veniam, de præsentibus effugium, de futuris cautelam. Fac me, priusquam moriar, de

omnibus & singulis peccatis meis conteri, eaque Vicario tuo sacerdoti integrè confiteri, vt ministerio ipsius absolutus, remissionem peccatorum meorum plenissimè consequar, & saluus fiam. Amen.

O R A T I O III.

DEus inæstimabilis & æternæ misericordiæ: Deus pietatis immensæ: Deus conditor & reparator humani generis, qui confitentium tibi corda purificas; qui accusantes se ante conspectum diuinæ clementiæ tuæ ab omni vinculo iniquitatis absoluis: virtutem tuam & bonitatis tuæ abyssum totis exoro gemitibus, vt secundū multitudinem miserationum tuarum, de omnibus peccatis meis, quibus me accusat mea rea conscientia, puram mihi coram te concedas agere confessionem; veramq; de his omnibus tribuas pœnitentiam quæcunque peccavi in cogitationibus pessimis, in cogitationibus prauis, in consensu malo, in consilio iniquo, in concupiscentia mala, in delectatione immunda, in verbis malis & odiosis, in factis malitiosis, in visu, auditu,

gustu, olfactu, & tactu. Ego quippè in omnibus etiam membris meis me reum intelligo supra mensuram : quia sicut astra cæli, atque arena maris ; ita innumerabilia mea cognosco delicta. Sed tibi, Domine, omnium occultorū cognitori, qui dixisti, pœnitentiam te malle peccatorum, quàm mortem, omnia cordis mei reuelo arcana, accusans nequitias, & peccata mea multa nimis & magna valdè, quæ gessi coram tremendè maiestatis tuæ oculis, in omni vita mea misera, præcipuè hæc. (*Hic nominatim exprime peccata, quæ conscientiam tuam grauant.*)

Et nunc Deus piissime, respice in me, & miserere mei, fontemque lachrymarum mihi & remissionem omnium peccatorū gratuita tua miseratione tribue, intima id cordis confessione ac affectione poscenti. Renoua & innoua in me, piissime pater, quicquid dicto, facto, cogitatu, propria malitia, diabolicaue fraude vitiatum est. Et vnitati Ecclesiæ sociando membro tuæ me redemptionis annecte, & non habentem fiduciam nisi in tua misericordia, ad sacramentū beatæ reconciliationis admitte. Amen.

O R A T I O V.

Conditor cæli & terræ, Rex regum, &
 Dominus dominantium, qui me de
 nihilo fecisti ad imaginem & similitudinem
 tuam, & me proprio sanguine tuo redemi-
 fti: quem ego peccator non sum dignus no-
 minare, nec inuocare, nec corde cogitare.
 Te suppliciter deprecor, & humiliter exo-
 ro, vt clementer respicias me seruum tuum
 nequam. Et miserere mei, qui misertus fui-
 fti mulieris Chananeæ, qui pepercisti Pu-
 blicano, & Latroni in cruce pendenti. Ti-
 bi confiteor, pater piissime, peccata mea:
 quæ si volo abscondere, nõ possum tibi Do-
 mine: Parce mihi Christe, quia ego pauper
 multum te offendi, in superbia, avaritia, gu-
 la, luxuria, in vana gloria, in odio, in acedia,
 in adulteriis, in furto, in mendacio, in bla-
 sphemia, in ioco, in risu, in verbis otiosis, in
 auditu, in gustu, in tactu, cogitando, loquen-
 do, operando, & in omnibus modis, in qui-
 bus ego fragilis homo & peccator, peccare
 potui; mea culpa, mea culpa, mea maxima
 culpa. *Hic nominatim exprime peccata, quæ*

conscientiam tuam grauant.

Ideò deprecor clementiam tuam, qui de cælo pro salute mea descendisti, qui Dauid à peccati lapsu erexisti: Parce mihi Domine, parce mihi Christe, qui Petro te neganti pepercisti. Tu es Creator meus, & Redemptor meus, Dominus meus, & Deus meus. Tu es spes mea, & fiducia mea, gubernatio mea, & auxiliatio mea: consolatio mea, & fortitudo mea: defensio mea, & liberatio mea: vita mea, salus mea, & resurrectio mea: lumen meum, & desiderium meum: adiutorium meum, & patrocinium meum. Te deprecor & rogo, adiuua me, & saluus ero. Guberna me, defende me, conforta me, & consolare me: confirma me, & lætifica me: illumina me, & viuifica me. Suscita me mortuum, quia factura & opus tuum sum, Domine ne me despicias. Famulus & seruus tuus sum, quamuis malus, quamuis indignus peccator; sed qualiscunque sim, siue bonus, siue malus, semper tuus sum. Ad quem ego fugiam, nisi ad te vadam? Si tu me eiicies, quis me recipiet? si tu me despicias, quis me aspiciet? Recognosce me indi-

gnum ad te refugientem, quamuis sim vilis & immūdu; quia si vilis & immundus sum, potes me mundare: si cœcus sum, potes me illuminare: si infirmus sum, potes me sanare: si mortuus & sepultus sum, potes me resuscitare; quia maior est pietas tua, quam impietas mea: plus potes dimittere, quam ego committere; & plus parcere, quam ego peccator peccare. Non ergo respicias Domine, neq; attendas multitudinem iniquitatum mearum, sed secundum multitudinē miserationum tuarum, miserere mei, & propitius esto mihi miserrimo peccatori. Dic animæ meæ, salus tua ego sum. Qui dixisti: Nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Conuerte me Domine ad te, & noli irasci contra me. Deprecor te clementissime pater, & propter misericordiam tuam supplico & exoro, vt perducas me ad bonum finem, ad veram pœnitentiam, puram confessionem, & dignam satisfactionem omnium peccatorū meorū. Amē

O R A T I O VI.

OMnipotens æterne Deus, cui soli omnis

MM pro remissione peccat. **MM** 63

debetur honor, gloria, & gratiarum actio: en ego infelix, indignus, ac perfidus ille peccator, haecenus tibi rebellis & ingratus, venio ad te Creatorem meum, Deum meum, Redemptorem meum, misericordem Iudicem, & Salvatorem meum, accusans meipsum, & tibi confitens omnes abominaciones, scelera & peccata mea, quibus nomen sanctum tuum blasphemavi, praeccepta tua transgressus sum, voluntatem tuam contempsi, dona & opera tua in me destruxi, animam & corpus meum pollui, vires, quibus tibi seruire debueram, peccando eneruavi, & ad seruiendum tibi me inutilem & infirmum feci, gratias ac munera tua in contumeliam tuam verti: Ad charitatem denique & misericordiam, ac beneficia tua, quibus vias meas conclusisti, hucusq; frigidus, atq; lapideus perseveravi. Quid, o mansuetissime, quot instinctus tuos tam saepe contempsi, longanimitatem tuam spreui? Et non solum hanc meam, sed alias quoque innumeras animas, quas tu sanguine tuo pretioso mercatus es, pro quibus etiam redimendis tu incarnari, pati, crucifigi, ac mori di-

gnatus es, ego tibi iterum abstraxi, seduxi, fœdavi, & hosti tuo diabolo animicidæ in mortem tradidi.

O misericordissime, atq; mitissime Domine Deus meus, in huiusmodi prauitate heu nimis diu obstinatus mansi, abutens benignitate tua & omnibus donis tuis, negligens benè agendi occasiones, omnibusque modis tibi & bonis hominibus rebellis. Heu piissime Iesu, quòd modò etiam, cum in honorem & beneplacitum tuum me totum tibi offerre deberem, maneo totus ingratus, veteribus peccatis meis noua cumulans, in seruitio tuo tepidus, negligens, & indeuotus, & à te auersus ad creaturas. Indignum est igitur, vt oculos meos ad cœlum leuem, qui etiam omnibus creaturis, atque adeò vita ipsa, & aura, qua foveor, prorsus indignus sum. Veruntamen, quò fugiam à facie tua Domine Deus meus? Vbi abscondam me ab ira tua? Quis recõciliabit me tibi? Nunquid non pater meus es tu? Cuius miserationes nunquam continere se possunt, cuius pietas non potest concludi. Ego verò, licèt filij nomine indignum me fecerim; agno-

ſco tamen non alium patrem, præter te, Do-
mine. Quapropter ad pedes miſericordia-
rum tuarum curro : ibi proſtratus ad omni-
potentiam, ſapientiam, bonitatem tuam : &
per infinitam miſericordiam tuam, (qui es
miſerationum abyſſus) obſecro te, ignoſce,
purifica, & libera me à peccatis meis omni-
bus, per merita vitæ & paſſionis tuæ. Re-
cipe me in gratiam tuam, qua me teneas,
confirmes, dirigas, atque poſſideas ad glo-
riam tuam, & ſecundùm æternum benepla-
citurum tuum.

Vt autem exaudiri merear celeriùs, ô dul-
cis Ieſu, fili Dei viui, qui te aduocatum &
mediatorem inter nos miſeros & patrem
tuum conſtituiſti, obſecro te per charitatem
illam, quæ te de cælis traxit in vterum virgi-
nis, & de vtero virginis per paſſionem ad
ignominiam crucis, per que ſingulas guttas
tui ſanguinis pro me effuſi, vt ſanctiſſimæ vi-
tæ ac paſſionis tuæ meritis, atque virtutibus
me dones, & gratiæ tuæ intra me iuge ha-
bitaculum facias.

*Si ad Euchariftiam ſtatueris ſumendam ac-
cedere, hæc adde.*

Dignumq; me facias ad recipiendum dilectionis tuæ pignus viuificum, corpus videlicet tuum in sacramento dignissimum, ad gloriam tuam, & ad animæ meæ cunctarumque animarum salutem & profectum, vt tibi coniunctus, suauissime Iesu, mundo moriar totus, tibi verò soli deinceps viam, & castissimo, feruentissimoque amore inseparabiliter inhæream. Amen.

O R A T I O VII.

OMnipotens, æterne, benignissime, misericordissimeque Domine Iesu Christe, Creator & Redemptor animæ meæ: Ecce ego sum ille nequissimus, impiissimus & vilissimus peccator, totus abominabilis atque contemptibilis, totus nefandus atque miserrimus, omni bruto vilior ac deterior effectus, qui tam enormiter, tam frequenter, tam audacter, tam impudenter, tuam infinitam maiestatem atque præsentiam violauit, tuam sanctitatem offendi, tuam bonitatem, charitatem, pietatem, & longanimitatem cōtempsi, tua præcepta transgres-

sus sum, tua consilia spreui, tuis donis abu-
 sus sum, tuis beneficiis ingratisimus fui, tu-
 um dulcissimum iugum abieci, à te Deo
 meo, Deo totius salutis meæ cor meū auerti
 & recessi, & in seruitutem diaboli pro vili &
 momentanea delectatione me captiuū tra-
 didi, mēbra mea, sensus meos, vires animæ
 meæ, tempus & alia dona, quæ mihi dedisti,
 quibus si te honorâssem, æternam mihi fe-
 licitatem concessisses, inimico tuo seruiens,
 ad contumeliam tuam turpiter expendi, &
 miserabiliter sum abusus; adeò vt etiam tibi
 iam ad seruiendum, deficientibus viribus,
 dominantibus vitiis, dilapso tempore, inu-
 tilis factus sim.

O saluator piissime, tu scis quot mala
 commisi, quot bona omisi, quòd propter
 ea etiam in multa mala peccando incidi.

*Quisquis hoc exercitio usus fuerit, gra-
 uiora sua peccata hîc in genere ad me-
 moriam reuocare poterit, pro excitanda
 deuotione, & cordis compunctione.*

Insuper non suffecerunt mihi infelicissi-
 mo peccatori propria peccata, sed præter
 ea, & aliena multa accumulauit. Heu, mi

Domine, quot homines seduxi, quot meo peruerso viuendi genere scandalizauī, quoties malum consului, occasionemque peccandi aliis innocentibus dedi, adiuui, & induxi in immania flagitia & peccata! Heu, quomodo nomen tuum ubiq; per me blasphematum est! Heu me, quot animas, tuis vehementissimis doloribus, & angustiis amarissimæ passionis redemptas, pretioso tuo sanguine, & morte innocentissima uiuificatas, ego conculcaui, interemi, ac iugulaui! Propter hæc indignum planè me iudico, vt oculos ad te leuem, gratiamque tuam mihi impertias.

Hic tunde pectus tuum cum Publicano, & dic ex intimo cordis affectu: Domine propitius esto mihi peccatori.

Et quicquid magis tibi possit tui ipsius parere contemptum & deuotionem, ac humilitatem.

O Deus Iudex æternæ gloriæ ac metuende, verè ego sum pessimus ille latro, qui toties peccando, & alios scandalizando, propriam animam, aliorumque animas, tam pulchras, tam nobiles, à te conditas, ad tuam imaginem factas, tanta charitate redem-

ptas fœdavi, & eas tibi creatori ac saluatori earum abstuli, occîdi, & dæmonibus tradi di: sicq; passionis & sanguinis tui fructum, quantum in me fuit, euacuavi. Heu me miserum, clementissime pater, qui tanta mala feci, factus adeò turpis, odibilis & facinorosus. Domine Deus, confundor & erubescio leuare faciem meam ad te, quoniam iniquitates meæ multiplicatæ sunt, supergressæque sunt caput meum, & sicut onus graue, grauata sunt super me. Delicta mea creuerunt vsq; ad cælum, & multiplicata sunt sicut arena, quæ est in littore maris. Ultra omnes peccatores ego miser & miserabilis te offendi, factus quasi spuma totius iniquitatis, & omnium peccatorum peripsema. Heu inter peccatores primus mihi debetur locus, adeò vt alij peccatores mihi comparati etiam iusti videantur: quippè, cui tot dona, tot adiutoria, tot beneficia largitus es, & plura dare paratus fuisti, quibus à peccatis nie cōtinere, vel resurgere potuissem. Et tamen his omnibus neglectis, sprete benignitate tua, qua me tam longanimiter ad pœnitentiam expectâsti, excitâsti, prouocâ-

sti, & tandem misericorditer attraxisti, post tam multa & enormia peccata, post tantam offensam, cum pro reconciliatione & consecutione gratiæ tuæ indefinenter cogitare & laborare debuisssem, totumq; me in holocaustum tibi offerre, totus ingratus cor meum auerti à te, & quotidie, imò & quasi continuè negligentius meis & defectibus offendo te. In seruitio namque tuo totus sum negligens, tepidus, indeuotus, mente dispersus, à te sum auersus, cum creaturis fornicor. Quid ultra dicam? Non habeo vt vnum pro mille respondeam. Scio me grauitè nimis deliquisse, & iram tuam iuste meruisse.

Verum tu clementissimus es, idcirco queso, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me; sed potius miserere mei secundum magnam misericordiam tuam, & secundum infinitam multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam. Non reserues mihi peccata mea, benignissime pater, in diem vindictæ, in diem mortis meæ, neque in ira iustitiæ tuæ me castiges; sed vt in præsentì vita veniam percipere me

De pro remissione peccat. **De**

7

rear, nunc potiùs in carcere præsentis vitæ, in curia misericordiæ tuæ, & liberationis, me vire & seca, vt in æternum parcas, saltem vt post hanc vitam à vindicta tua sim securus. Memor, quæso, sis fragilitatis, & vilitatis vanitatisq; meæ Deus, & sustentes animam meam manu tua, quia ne minima quidem sufferre possem, tua destitutus virtute. Iterum rogo te, clementissime Domine, & per omnes miserationes tuas obsecro, non finas animam meam de corpore meo exire, nisi priùs plenè tibi reconciliatã, plenariè purgatam, perfectè mundatam, tua charitate, proximi dilectione, cæterisq; virtutibus perfectè ornatam, & ab omni pœnarum formidine, ab omni inferni & purgatorij terrore prorsus liberam & securam, totamq; tibi inseparabiliter adhærentem, & iugiter sine fine tecum feliciter mansurã. Sed vnde mihi hoc? Vnde tanto peccatori, tam ingrato, tantum beneficium, tantũ donum? Quomodo audeo hoc petere? De tua pietate id præsumo, dulcissime Domine Deus meus, misericordia mea, cui perinde est multos, vel paucos saluare, cùm tota salus

lus nostra non ex operibus nostris, sed tua gratia præcipuè pendeat. Tu pro me satisfacisti: Tu, vt mihi satisfactio tua subueniat, meruisti. Ego mendicus & pauper, nihil habeo quo hoc merear: nihil habeo quod offeram tibi, nisi peccatricem animam, & hoc miserrimum corpus, quæ à te recepi, quæ tu benè fecisti, sed ego destruxi. Hæc tibi Domine mi offero in beneplacitum voluntatis tuæ: fac mecum sicut tibi placuerit: rege me, tene me, & posside, sicut uoueris. Age mecum prout tuam decet gloriam & voluntatem, castigando vel consolando me. Hoc solùm, mi Domine, precor, vt in omni aduersitate, in omni dolore, in omni tentatione, vel consolatione, cor meum perpetua charitate sit tibi conuinctum, tuę voluntati inseparabiliter vnitum, vt omnia de manu tua humiliter accipiam, in omni euentu tibi semper gratias agam, & nihil extra tuam voluntatem cupiam; vt semper & omnem tribulationem superet hilaris patientia, & omnem prosperitatem excedat deuota humilitas.

In remissionem autem & ablutionē pec-

catorum meorum, in remedium omnium defectuum & negligentiarum mearum, in gratiarum actionem, & memoriam beneficiorum tuorum, offero tibi, dulcissime Iesu, cor tuum, benedictam incarnationem tuam, innocentissimam conuersationem, sanctissimam vitam, amarissimam passionem, ac mortem tuam, & omnia, quae pro salute mea assumpsisti, egisti, & passus es. Sed & omnia merita omnium sanctorum tuorum, sanctaeque Ecclesiae tuae. Obsecrans te per haec omnia, & per immensam charitatem tuam, per infinitam misericordiam tuam, per charissimam genitricem tuam dulcissimam & benignissimam virginem **MARIAM**, per omnium sanctorum & deuotorum preces & merita, ignosce mihi sceleratissimo & vilissimo peccatori, quicquid unquam male egi contra te, & gratiam tuam piissimam mihi infunde, per quam de caetero me custodias ab omni peccato, liberares & praeserues ab omnibus, quae tibi in me displicere possunt; ut ita tibi seruiam, ita tibi placeam, ac talis semper in oculis tuis inueniar, quale me velles iuxta ultimum & summum beneplacitum tuum. Amen.

SUSPIRIA GEMENTIS ANIMÆ PRO
peccatis suis ad Deum clamantis.

Heu, Deus meus, & pater misericordi-
 arum, vt quid toties offendi te patrē,
 & creatorem meum ?

Dominator vitæ meæ, ecce vides, quia
 non est in me bonum, nec sanitas animæ
 meæ.

Domine miserere mei, sana animam me-
 am, quia peccaui tibi. Sana me Domine,
 & sanabor, saluum me fac, & saluus ero;
 quia salus mea tu solus es.

Heu, Domine Deus, quanta sunt vulne-
 ra mea, quanta infirmitas, quanta vilitas, &
 prauitas mea, pro quibus tu sanandis cruci-
 fixus es, & occisus.

Cui conquerar, ô Domine, omnia mala
 mea aduersum me, nisi tibi saluator & re-
 demptor animæ meæ ?

Deus meus propitius esto mihi peccato-
 ri. Iesu, fili Dei viui, miserere mei; quia ni-
 hil tibi impossibile est, quàm miseris nolle
 misereri.

Redde mihi, ô misericordissime Iesu,

gratiam tuam.

Non secundum merita mea, sed secundum bonitatem tuam, respice in me, clementissime Domine Deus meus.

Dulcis Iesu, quam amabilis est gratia tua, quam suavis amicitia tua. Ne, quaeso, abicias me propter peccata mea.

Benignissime Domine Deus meus, quid aliud ego miser & infelix peccator possum, quam peccare? & quid tu, o optima & infinita bonitas, aliter potes, quam misereri & parcere? fac ergo tu secundum bonitatem tuam, quia ego infelicissimus agere desino secundum malitiam meam.

Misericordissime Domine Deus meus, da mihi poenitentiae lachrymas, quibus ex abyssu cordis mei doleam, & lugeam peccata mea.

Da mihi dolorem perfectissimae contritionis, & lachrymarum flumina iugiter fluentia, quia te Deum meum, & creatorem meum contempsi.

Emollias, quaeso, saxeam hoc pectus meum, inflamma frigidissimum cor meum, ut lachrymae fluant mihi die ac nocte, & dolor

fit cordi meo continuus, quòd non amaui,
quòd spreui, quòd etiam offendi te Domi-
ne Deus meus.

Quid faciam Domine Deus meus, vt pla-
ceam tibi, qui vsque hodie totus sum abo-
minabilis, & plenus iniquitate?

Deducant oculi mei lachrymas per diem
ac noctem, & non taceant: quia alienum
me feci à gratia creatoris mei.

Domine Deus meus, quid mihi sine te vi-
uere? Recipe in gratiam tuam: ostende mi-
hi misericordiam tuam, miserator & miseri-
cors Dominus.

Heu me miserum & infelicem, Domine
Deus meus, quòd vnquam offenderim te?

Ah, vtinam non fecissem, vtinam non
peccâssem. Non finas, ô clementissime De-
us meus, non finas, vt peccata mea diuidant
inter me & te.

Si castigare me vis Domine, non in furo-
re tuo arguas me, neque in ira tua corripias
me. Misere mei Domine, quoniam infir-
mus sum, sana animam meam, quia pecca-
ui tibi.

Non imputes, quæso, mihi peccata mea,

nec propter ea gratiam tuam à me auferas, aut minuas. Sed quò ego sum infirmior, ostende tu in me diuitias bonitatis tuæ. Cunctis palàm fiat in me, quia miserationes tuæ sunt infinitæ, atque immensæ. Amen.

O R A T I O.

O I E S V suauiffime, qui omnibus à te auerfis compendiosam ad te reuerendi tradidisti semitam, dicens: Nisi conuerfi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, nò intrabitis in regnum cælorum. & per Prophetam tuū loquutus es dicens: Conuertimini ad me in toto corde vestro. Doce me, obsecro, veram atque integram animi conuersionem, quomodo instar paruulorum sine omni malitia ac cordis amaritudine vitam meam instituam; atq; eorundem simplicitatem, puritatem, & innocentiam sectando, meam iam dudum amissam recuperem; animæque meæ vires in suam originem, hoc est, in te Deum meū referam; naturales meas passiones, sensus, & illicitos animi motus comprimam, iugiterq; constringam. Quod,

pic Deus, quàm necessarium mihi sit, ipse
 cernis; quando tam faciliter & leuiter per
 sensus à te defluo, multisque perplexitati-
 bus & curis superfluis, sæpè me inuoluo.
 Ah, reuoca me, quæso, ad te, & erige cor
 meum, pondere peccatorum pressum, ad
 cælestia: & abstrahe me ab omnibus quæ
 mundi sunt; iugo suauissimæ seruitutis tuæ
 me subdendo, omnesque affectus & cordis
 mei desideria in cor tuum diuinissimum om-
 ni virtutum odore respersum, totiusque di-
 uinitatis gazophylacium rapiendo, atque in
 inuestigabili tuæ diuinitatis abyssio mentem
 meam absorbendo. Subarrha me etiam in
 hac præsentis vita annulo gratiæ tuæ, & in-
 dissolubili charitatis tuæ vinculo me con-
 stringe, ne in æternum à te separer, & à cæ-
 lestibus tuis mansionibus, culpis meis &
 peccatis exigentibus, excludar. Amen.

ORATIO, QVA VTI POTEST POENITENS,
antequam ad peccatorum confessionem
Sacerdoti faciendam accedat.

Svmme Deus, ac misericordiarum pater,
 Scùm multa sint, quæ me vehementer di-

scrutiant, tum hoc certè potissimùm, quòd cum tot ac tam magnis sceleribus vndique sim pollutus, atq; coopertus, eorum tamen vix vllam partem agnòsco aut sentio; sed ita totus in malis meis hebes sum, sic in flagitiis, inquam, meis dormito; perinde ac si de mea iam salute, deq; tua beneuolentia planè securus essem. Cui quidè nequitia meæ tam profligatæ, quòdnam adhiberi potest à me remedium aliud, quàm vt te inspectante lugeam, ac gemam, & hinc quidem gratia tuæ splendorem, ac lucem, qua tenebrarum mearum caligo discutiatur, postulem; illinc verò timorem tuum flagitem, ac feriam in malis pœnitentiam, qua durum hoc & adamantinum pectus meum, ad contritionem emolliatur? Quò magis autem id à te sperem, facit ea, quam naufragis à Baptismo obiecisti, secunda tabula, id est, sacramentum pœnitentiæ, in quo ex infinita tua bonitate, sacerdotes nostri, soluunt ac ligant, retinent ac remittunt scelera eorum, quos huic se venia idoneos præstitisse, ex ipsorum confessione compererint. Huc ego totus nunc, pie pater, contendo, pecca-

torum meorum pondere perquam fatigatus, vt ea omnia coram te deponam, Christi que filij tui Domini nostri sanguine purissimo perpurgatus, tuarum promissionum fructu suauissimo reficiar. Et nunc demum incipiam vitæ meæ rationes accuratè subducere, ero que mihi ipsi tum accusator, tum testis acerrimus, nullum que meorum scelerum eos celabo, qui mihi sunt iudices à te in tua Ecclesia constituti, quibus singulatim sic arcanos animi mei motus retegam, vt singulis morbis remedium præfens adhibeam. Quòd si peccata post hanc meam quantumcunque diligentiam, quædam mihi non perspecta, vt eorum numerus planè mihi est infinitus, adhuc intus hæserint; postulo supplex, mi Deus, vt à te hæc omnia benignè condonentur, omnino que deleantur, inter eà dum ego tibi hæc, quæ me magnopere premunt, cum lachrymis enumero. *Recenseantur hic peccata quæ magis angunt.*

Quibus iam mihi videor à te veniam impetrasse, dum paulatim cordis mei gelu liquefcere, rigorem que intus emolliri sentio. Ad hæc porrò, te vidente, pater, beatisque

omnibus illis, ac immortalibus animis in-
 tuentibus testor nunquam me, te duce, id
 commissurum, vt tuas denuò leges pessun-
 dem, me his ampliùs criminibus inuoluam,
 daturus certè operam omnem, vt omnes
 malè agendi occasiones amoliar. Et tam
 quoque lubens eam pœnam mox subiturũ
 me profiteor, quæ mihi à meo pastore indi-
 cetur, quàm omnem iniuriam iis remitto,
 qui aliqua me affecissent, à quibus rursus
 postulo veniam, si quâ illos imprudens aut
 certè volens læsissem; meq; cuiuis ex æquo
 & bono satis daturum, quoãd eius fieri po-
 terit, recipio. Quæ vt à me omnia ritè per-
 fici queant, tuam ego, clementissime pater,
 opem, per Christi Iesu sanguinem imploro,
 tibi in vnitate spiritus sancti laudem omnẽ,
 atque honorem exopto. Amen.

A L I A O R A T I O.

SVscipe confessionem meam, piissime
 Sac clementissime Domine Iesu Christe,
 vnica spes salutis animæ meæ, & da mihi,
 obsecro, contritionem cordis, & lachrymas

oculis meis, vt defleam diebus ac noctibus omnes negligentias meas, cum humilitate & puritate cordis. Appropinquet oratio mea in conspectu tuo Domine. Si iratus fueris contra me, quem adiutorem quærā? quis miserebitur iniquitatibus meis? Memento mei Domine, qui Chananæam & Publicanum vocasti ad pœnitentiam, & Petrû lachrymantem suscepisti. Domine Deus meus, suscipe preces meas: saluator mundi, Iesu bone, qui te crucis morti dedisti, vt peccatores saluos faceres, respice me miserum peccatorem, inuocantem nomen tuum: & noli sic attendere malum meum, vt obliuiscaris bonum tuum: & si commisi vnde me damnare potes, tu non amisisti vnde saluare soles. Parce ergo mihi, qui es saluator meus, & miserere peccatrici animæ meæ. Solue vincula eius, sana vulnera. Domine Iesu, te desidero, te quæro, te volo: ostende mihi faciem tuam, & saluus ero. Emitte, piissime Domine, meritis purissimæ & immaculatę semper virginis genitricis tuæ Mariæ, & sanctorum tuorum, lucem tuam, & veritatem tuam in animam meam, quę om-

nes defectus meos in veritate mihi ostendat, quos confiteri me oportet, atque iuuet & doceat ipsos plenè & contrito corde explicare. Qui viuis & regnas.

ORATIO, QVA VTI POTEST POENITENS
à confessione peccatorum.

O Clemens, ac benigne creator, qui mihi nunc certum in animi mei calamitatibus perfugium extitisti, gratias ago immortales tibi, quòd grauissimam peccatorum meorum sarcinam deposuerim, & veteri illo Adam abiecto, nouæ vitæ cursum ingressus sim; quem, vt te authore suscepi, sic precor, vt adiutore perficiam, confirmata in me ea voluntate, qua me omninò cumulatè beâsti.

Neque verò iam tuorum ego sacramentorum vim, ac robur ignorare possum, propterea, quòd maior me multò nunc afficit animi tranquillitas, ac mentis lætitia, quàm priusquàm peccata mea ex præscripto tuo, confessione legitima expiâsem: nunc enim planè sentire videor, vbi delictum antea a-

bundauerat, gratiam multò copiosius superabundare: quanquam, ne mihi quidem id audeam polliceri, melius me videlicet in posterum, atque sanctius victurum, quam olim, nisi tuo me præsidio, ac fauore tuearis, atque conferues.

Et profectò, quod ad me attinet, sic omnes flagitiorum occasiones mihi præcidam, tamq; singulis momentis, tuæ gratiæ cupidus, auribus tuis adero, quam summam eius mihi necessitatem incumbere non ignoro: vix enim quicquam ego vel aggredi potero, vel perficere, in hac virium mearum imbecillitate, nisi me tu ipse auxilio tuo confirmes, atque suffulcias.

Agnosco nunc demùm, optime parens, quantum sit præsidij, ac lucris spiritualis repositum in huius sacræ confessionis vsu, ad quam multò me, quam antea frequentius accessurum polliceor; quamuis non me lateant carnis ac dæmonis insidiæ, quibus, quoties à tam sancto opere sum reuocatus? Et quid superest ad hæc, nisi vt mihi ipsi sedulò caueam, ne deterior iterato lapsu fiam, adeoque sim in rem meam ipse atten-

tus, ne vel minimum quidem peccatum in me dissimulem, quod non acerbè corripiam, atque castigem.

Qua in re, tum ego demùm præclare proficiam, cùm meas ad examen virtutis actiones accuratè, sub noctem quotidie reuocauero, notatis iis, quæ vitiosæ fuerint, vt tuo cælesti beneficio deleatur: eas autem quas secundùm te rectas, ac iustas deprehendero, sic tibi vni ascribam, vt tam te bonorum omnium meorum, si quæ vnquam à me fi-ent, authorem prædicem, quàm certissimum in posterum spero habiturum adiutorem, Per Iesum Christum filium tuum, &c. in v-
nitate spiritus sancti. Amen.

O R A T I O II.

IN vnione doloris tui, qui causam doloris mei assumpsisti, & pœnas peccatis meis debitas suscepisti, Domine Iesu Christe, cum vniuersitate dolentium & verè pœnitentium, & te in veritate quærentium confiteor tibi omnia peccata mea commissa, & bona omissa, vel non purè aut negligenter facta,

sicut tu ea nosti in numero, pondere, & mensura, & dies perditos vitæ meæ, in quibus te offendi, & laudem tuam minui; & à te summo bono cecidi, & proximū in casum traxi.

Suscipe ergo, Domine, de mea misera vita residuum annorum meorum: pro his verò, quos viuendo perdidisti, quia perditè vixi, cor contritum & humiliatum Deus non despicias. Dies mei declinauerunt, & perierunt sine fructu. Impossibile est enim vt reuocem eos: sed placeat tibi vt reuocem illos in amaritudine animæ meæ. Domine, abyssus profundissimæ miseriæ meæ, abyssum inuocat altissimæ misericordiæ tuæ. Ne contineas in ira miserationes tuas, & fontem inexhaustæ misericordiæ tuæ circa me exsiccari non permittas propter peccata mea, qui misereris omnium, & nihil odisti eorum quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam.

Tuum est, Domine, remittere peccata; miserere mei, iam tempus est gratiæ & miserationis; & dum tempus est emendationis, da mereri gloriam benedictionis, ne in die consummationis me feriat ver-

De pro remissione peccat. **De** 87

bum maledictionis. Fac me, quæso, Domine, assueta mala relinquere, & tibi placita opera agere: & ut studium, quod hucusque in peccatis exercui, te adiuuante, deinceps in tua voluntate exerceam; ut ubi abundauit delictum, ibi tua gratia redundet. Et rogo te propter te ipsum, ut per amorem piissimæ matris tuæ, gloriosæ virginis Mariæ, & per intercessionem omnium sanctorum tuorum, atque electarum tuarum, ut ignoscas omnibus peccatis, negligentis & ignorantis meis; & ne perdas me cum iniquitatibus meis, neque in finem iratus referes mala mea.

Recordare Domine Iesu, quia tuum non est perdere quicquam ex eo, quod pater tuus dedit tibi; sed tuum est proprium misereri semper & parcere, neminem perdere, sed saluare; quia pater tuus misit te in mundum, non ut iudices mundum, sed ut vitam habeamus per te, ut sis pro nobis, non contra nos. Quod enim debuimus, tu soluisti; quod peccauimus, tu luisti; quod negleximus, tu supplèsti.

Proficiat ergo, Domine, nunc & in extre-

mis meis plenaria, imò redundans satisfactio tua, amara mors tua, & pretium fusi sanguinis tui, renouatio satisfactionis tuæ, venerabile mysterium corporis & sanguinis tui, quod tibi quotidie offertur in Ecclesia pro salute fidelium, in quo es tu ipse sacerdos, & sacrificium, ille, qui offert, & ille, cui offertur, & hoc quod offertur, ad promerendum in præfenti gratiam, quam non merui, ad obtinendum in futuro requiem, & gloriam, quam tua pia passio impetrauit. Imperfectum meum, Domine, viderunt oculi tui. Sed tu, pie Deus, ne imputes mihi ad æternum supplicium, qui omnia ad summum & perfectum bonum optimè & perfectissimè præordinâsti. Et ne permittas me deleri de libro vitæ; sed offer mihi portionem, quæ me contingit in subsidium, tuæ videlicet pretiosæ passionis, cum qua hominem voluisti habere tibi cohæredem in terra viuentium.

Te igitur Domine moueat & inclinet ad misericordiam humanæ fragilitatis consideratio, qui nôsti, quæ sit hominis substantia; & quòd non vanè constitueris hominem su-

per terram; & conserua in me opus tuæ pietatis. Ne in cassum circa me laboraueris, & ne infructuosa sit in me immaculati crucis tui effusio. Tu enim, qui es purificationem faciens peccatorum, præsta, vt emendatus à peccatorum fordibus, & illuminatus acie mentis cognoscam te, teque agnoscens in directione cordis mei iugiter ad te tendam, vt felici exitu ad te merear peruenire Iesu Christe. Qui cum Deo patre in unitate spiritus sancti uiuis & regnas per omnia secula seculorum. Amen.

O R A T I O III.

Confitebor tibi Domine, Rex, & claudabo te Deum saluatorem meum: Confiteor nomini tuo magno: quoniam adiutor & protector factus es mihi, & liberasti corpus meum & animam meam à perditione. Confiteor etiam tibi & beatæ Mariæ, sanctoq; Ioanni Baptistæ, & angelo mihi ad custodiam deputato: & sanctis, quorum reliquæ in loco præsentis habeantur, & omnibus electis tuis, omnia, quæ com-

misi, vel omisi, per superbiam, negligentiam, infirmitate, suggestione, delectatione, consensu, cogitatione, locutione, & opere, & quibuscunque aliis modis offendi. Profiteor me errasse, deliquisse, & peccasse, ultra omnes peccatores.

Quamobrem, obsecro, immensitate clementiæ ac pietatis tuæ, vt omnia peccata mea mihi dimittas, & non permittas me amplius aliquid contra te committere, aut tentari supra virtutem meam; sed concede per gratiam tuam, vt omnes aduersitates, & prosperitates mihi vertantur in probationem & salutem. Benedico te DEVS cali & terræ: glorifico & exalto nomen tuum: laudo, & beatifico, honorifico magnificentiam tuam: adoro, veneror, & sanctifico maiestatem tuam, virtutem, diuinitatem, & sapientiam, fortitudinem, honorem, & gloriam ac benedictionem offero Trinitati vnitatis tuæ.

Iterum atque iterum DEVS meus gratias ago potentiae & bonitati tuæ pro eo, quod fecisti cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt. Et misisti ad redemptionem nostram vnicum Filium tuum, & ad

remissionē peccatorū, & collationem donorum, per eundem spiritum sanctum tuū. Deniq; pro vniuersa Ecclesia Catholica, & scripturis sanctis, & cunctis ordinibus & sacramentis Ecclesiasticis, & pro omni populo Christiano, & cunctis quæ eueniunt eis. Tandem pro meipso, pro eo quòd manus tuæ plasmauerunt me ad tuam imaginem & similitudinem; & quia baptizatus, & confirmatus; & quia sola miseratione pietatis tuæ, & cura sollicitudinis viuo, licet ingratus & indignus.

Tandem supplico clementiæ tuæ, vt sim potens & libens abominari & superare superbiam, auaritiam, gastrimargiam, iram, luxuriam, acediam, gulam, & vanam gloriam, & cætera omnia vitia: ac desideria carnalia, omnesque tentationes, cuncta spernere inutilia, cauere nociua, sustinere aduersa, prosequi salubria, meditari spiritualia, comprehendere cælestia. Sim insuper, Deus meus, iuxta dictum tuum pauper spiritu, mitis, lugens, esuriens & sitiens iustitiam, misericors, pacificus, mundus corde, persecutionem patiens propter iustitiam: prudens vt ser-

pens, simplex vt columba.

Postremò, obsecro misericordiæ tuæ immensitatem, vt requiescat super me spiritus sapientiæ & intellectus, consilij & fortitudinis, scientiæ & pietatis, & spiritus lætissimi timoris tuæ gratiæ & veritatis, fidei, spei, & charitatis, prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis, atq; iustitiæ. Habeam etiam ex abundanti largitatis tuæ dono gratiam verborum, cogitationum, & operum bonorū, sobrietatem & discretionem, castitatem & constantiam mentis & corporis, perfectam patientiam, & in omni sanctitate vsque in finem perseuerantiam, voluntatem, & virtutem in lege tua, & in operibus mandatorū.

Dispone etiam in me visum, auditum, odoratum, gustum, loquelam, tactum, incessum, renes, & omnia membra corporis, & affectus animæ, & visus eorum. Fac, ita agam, vt in omnibus tibi placeam, & te glorificem semper & ubiq;, & à te habeam angelum ad custodiendum, docendum, & adiuuandum me in omnibus. Nam ego pono corpus & animam meam, & totam vitam in tua dispositione & custodia.

Si verò est in his, quę postulo, aliquid minus tibi placens, tu omnia dirigas iuxta paternitatem tuã dulcissimam, & facias. Hoc solum singulariter & anxie clementiam tuam deprecor, vt me tibi veraciter seruire facias toto corde, & toto corpore, omnibus diebus vitę meę, ac in omnibus adimplere voluntatem tuam, & peruenire ad consummationem perfectam, finem sanctum, & gaudium sempiternum. Amen.

Caput III.

ANTE ALTARIS ACCESSVM.

GREGORIVS XIII. PONTIFEX MAX.

*concessit cuilibet Sacerdoti dicenti infra scripta
verba, quinquaginta annorũ Indulgentiã.*

Ego volo celebrare Missam, & conficere corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, iuxta ritum sanctę Romanę Ecclesię, ad laudem omnipotentis Dei, totiusque Curię triumphantis, & ad vtilitatem meam, totiusque Curię mi-

litantis, pro omnibus, qui se commendaue-
runt orationibus meis in genere, & in spe-
cie, & pro felici statu sanctæ Romanæ Ec-
clesiæ. Amen.

GAudium cum pace, emendationem vi-
tæ, spatium veræ pœnitentiæ, gloriam,
& consolationem sancti spiritus, perseueran-
tiam in bonis operibus, tribuat omnipotens
& misericors Dominus. Amen.

EFFUSIO CORDIS ANTE ALTARIS
accessum.

Benignissime bonorum omnium largi-
tor, sapientissime meritorum remunera-
tor, suffragiorumq; omnium ponderator,
Domine Christe Iesu: sacrificium quod tibi
hodie paupercula mea deuotio, quam solus
intueris & metiris, offerre constituit, dignã-
ter non tam secundum eiusdem meæ deuo-
tionis valorem, quàm secundum tuam cle-
mentiam immensam suscipito. Non pro his
duntaxat, pro quibus specialiter ordinatum
est, atq; progenitoribus ac benefactoribus
meis, quorum ope atque industria in hanc

perueni horam: verum pro me etiam, & pro his quibus ex pietate aut charitatis debito astrictus sum. Neque enim te (qui cuncta nosti) latet, quantum hinc pro peccatis meis innumeris, illinc pro tuis debitor sim gratuitis beneficiis. Deinde quantum proximis, precipue eis, de quorum labore manuum ac vultus sudore, panem comedo, ac vestior in abundantia, debeam. Nec desunt qui mihi sese commendarunt orationibus. Sunt item, qui suos mihi impartuntur labores, & orationis vicissitudinem a me requirunt. Postremo, ipsi a me exigunt orationem quos defraudavi, quos fama aut rebus læsi, quos scandalizavi, quos seduxi, quos verbis aut moribus offendi. Idem, qui sua mihi peccata confitentur, aut quibus ego confiteor. Quo fit, ut ferè totius Christianę religionis exercitus a me debitum exoptulet.

Pauper itaque & miser vim patior.

Memor tamen suavissime Domine uniuersarum miserationum tuarum deuotissime flagito, ut tot tantisque creditoribus meis pro me respondeas, hancque Missam (& si quę alia te donante fecero beneplacita) su-

sciens per suavissimum cor tuum, in sacrosanctæ passionis ac mortis tuæ, beatissimæque matris tuæ & omnium sanctorum tuorum commemorationem, atque secundum multitudinem liberalissimæ donationis tuæ, singulis, prout unicuique opus ad salutem ac liberationem, attribuas.

Fiat hoc sacrificium, piissime Iesu, propter infinitam bonitatis tuæ dulcedinē, qua ipsum in S. Ecclesia esse ordinasti: propter amarissimam passionem tuam & mortem, qua ipsum fundasti: propter ardentissimam charitatem, qua in cœna leuatis oculis gratias agens Deo patri ipsum instituisti: & propter merita & intercessionem gloriosissimæ virginis Mariæ, sanctorumque omnium: fiat, inquam, hoc sacrificium Missæ mihi & singulis effectus atque fructus tam integer, ac si singulariter pro quolibet nostrum tibi offerretur. Tu enim es perditorum omnium hostia pacifica, quæ sola odoris tui suavitate patrem tuum cælestem nobis placare & reconciliare potes, Christe Iesu pietissime. Qui cum eodem Deo patre in unitate spiritus sancti viuis & regnas, &c. Amen.

EFFUSIO ALIA VTI SPIRITVM
suum debeat colligere.

Benignissime Domine Iesu Christe, in
memoriam & gratiarum actionem sa-
cro sanctæ incarnationis, passionis, & mor-
tis tuæ, in memoriam immensæ charitatis
tuæ, qua misericordiam, & beneficia tua su-
per nos multiplicasti ab æterno, & vsque in
æternum, in tui, inquam, memoriam, Deus
bonorum omnium largitor, sacrificium tibi
offerre nunc cupio. Et vtinam ex toto cor-
dis mei desiderio verè id cupiam, & dignè
perficiam, cum profundissima humilitate &
reuerentia, cum ardentissima deuotione,
& stabili cordis inhærentia in te, in laudem
& gloriam nominis tui, ad salutem & pro-
fectum omnium generaliter, pro quibus tu
mortuus es: eorū verò singulariter, pro qui-
bus tu orari singulariter vis, aut ego debeo.

Atque vtinam, dulcissime Iesu, ne pollu-
tus atque adedè indignus accedam, tu in tuis
vulneribus laues, & mundes me ab omni-
bus peccatis, vitiis, negligentis, erroribus,
& ceteris omnibus, quibus vnquam tibi dis-

plicui, aut displiceo. Utinam impleas & ornes me perfectissima charitate, atq; omnibus virtutibus, quibus tibi placere debeo. Confirma me in gratia tua sancta, per quam impossibile mihi fiat à te excidere; ut sic in vnione illius intentionis, illius deuotionis, illius puritatis, illius charitatis, quibus tu instituisti, obtulisti, & offerri voluisti à nobis hoc sacrificium, nunc tibi illud offeram, & in eiusdem vnione meipsum totum in beneplacitum tuum offeram holocaustum. Inde quoq; mihi & Ecclesie tuæ filiis eam virtutem & fructum consequar, quæ passio tua amarissima, & ignominiosa in cruce mors, contulit mundo, in cuius memoriam & venerationem nunc ad altare tuum accedo, & ex gratia tua, sub custodia & protectione tua, tuum auxilium, tuam directionem, tuum spiritum sanctum in me inuocans. Qui cum patre & eodem spiritu sancto viuus & regnas Deus, per omnia secula seculorum. A.

Alia cordis effusio breuis.

Domine Iesu Christe, qui vniuersorum es conditor, omniumq; bonorum lar-

gitor, en ego pauper, nudus, miser, & miserabilis, multis peccatis obstrictus, multis vitiis & abominationibus inquinatus, infinitis beneficiis tuis debitor, pro multis hominibus singulariter, pro omnibus autem generaliter, orare teneor. Itaq; vim patiens ad te confugio, responde pro me. Tibi enim offerre cupio, suauissime Iesu, sacrificiũ corporis & sanguinis tui in gratiarum actionẽ, & in memoriã charitatis, passionis, & mortis tuę, obsecrans te per te metipsum, Deus meus, vt illud per cor tuum suscipias, & patri offeras in vnione omnium meritorũ tuorum, in vnione perpetuę orationis tuę, quam facis ad patrem pro nobis, in vnione virtutis & efficacię, quibus operata est mors tua in cruce, & dones mihi & vniuersę hereditati tuę, tuo sanguine redemptę, eundẽ fructum percipere, quem tu nobis operatus es, & meruisti in cruce.

Eia, piissime Domine, pręsta vt hoc sacrificium Missę, ita etiam tibi offeram in vnione illius intentionis, illius pietatis, feruoris, deuotionis, charitatis, ac reuerentię, quibus tu illud obtulisti in ara crucis, qui

bus illud etiam offerendum instituisti, & à nobis offerri voluisti. Diues es in miserationibus: tua sunt omnia munera nostra, tua sunt etiam merita nostra, tua sunt præmia nostra, totum est misericordiæ tuæ, quod habemus, & sumus. Parce nobis Domine, & miserere vniuerso humano generi, quod tu creasti, quod etiam pro nobis moriens, à morte redemisti. Da vnicuiq; sicut tu scis, potes, & vis, ad gloriam tuam, & omnium salutem, dulcissime ac misericordissime Domine Iesu Christe, Deus meus. Amen.

EFFUSIO CORDIS ITEM ALIA ANTE
*Missam, seu ante sumptionem
 Eucharistiæ.*

OMnipotens æterne Deus, quantum erubescere debeo in oculis maiestatis tuæ, qui tam deformis, tam inops, tam sordidus, tam vilis, tam miser, & ingratus ad te venio, nihil mecum præter iniquitatum mearum fasciculos afferens. Et hoc cui cõquerar, mi Domine, nisi tibi ipsi, qui misericordissimus es, qui medicus animarum es,

simulque piissimus Saluator ? Sana igitur me, clementissime Domine, in vulneribus tuis, laua me in sanguine tuo, purifica me in miserationibus tuis infinitis. Da mihi omnia merita, omnes virtutes, omnes iustitias, omnem denique decorem vitæ, passionis, ac mortis tuæ, amator, redemptor fidelissimi me. Da mihi etiam omnia merita ac virtutes beatissimæ Mariæ virginis ac matris tuæ, omnium sanctorum tuorum, & præcipue quorum hodie est festiuitas, in regno tuo. Da mihi omnia desideria sancta, omnem deuotionem, ac virtutes amicorum tuorum **N.** atque omnium electorum tuorum, qui sunt in hoc mundo (quos, ô pie Deus, nunc quaeso, facias tibi mecum assistere, mecum offerre, mecumque gratiæ tuæ participes fore) ne appareat in conspectu tuo ignominia nuditatis ac vilitatis meæ. Illumina, quaeso, æterne Deus visitatione tua cor meum, & omnes tenebras expelle à me. Fac me sentire cum timore ac reuerentia, cum profundissima humilitate, cum ardentissimo castissimoque amore iugem præsentiam tuam, quo simul mergar in abyssum cognitionis

propriae nihilitatis, & tuæ bonitatis. In-
 flamma cor meum, quæso, igne illo arden-
 tissimæ ac potentissimæ charitatis tuæ, quæ
 te ad nos, & pro nobis ad mortē traxit. Illo
 quæso igne, gloriose, benedicte, & miseri-
 cordissime Deus, ardeat semper cor meum,
 quo omnes vires, omnes potentias, omnes-
 que motus animæ meæ in te trahas, in te
 absorbeas, & vt tecum perpetuò & insepa-
 rabiliter vnum efficiar, tu misericordissime,
 facias. Amen.

PRAEPARATIO ORDINARIA ANTE
*Missam, quæ dicitur accessus
 Altaris.*

NE reminiscaris Domine delicta no-
 stra, vel parentum nostrorum, neque
 vindictam sumas de peccatis nostris.

Quæ Antiphona in duplicibus tantum duplicatur.

Psalmus.

QVàm dilecta tabernacula tua Domi-
 ne virtutum: concupiscit, & deficit

M preparat. ante altaris accessum. **M**

103

anima mea in atria Domini.

Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.

Etenim passer inuenit sibi domū, & turtur nidum, vbi reponat pullos suos.

Altaria tua Domine virtutum: rex meus, & Deus meus.

Beati qui ambulant in domo tua Domine: in secula seculorum laudabunt te.

Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum, in loco quem posuit.

Etenim benedictiones dabit legislator: ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Iacob.

Protectōr noster aspice Deus: & respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies vna in atriis tuis: super millia.

Elegi abiectus esse in domo Dei mei: magis quā̄m habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam, & veritatem diligit

Deus : gratiam, & gloriam dabit Dominus.

Non priuabit bonis eos, qui ambulant
in innocentia : Domine virtutum beatus
homo, qui sperat in te.

Gloria patri, & filio, &c.

Psalmus.

Benedixisti Domine terram tuam : auer-
tisti captiuitatem Iacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ : ope-
ruisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam : auertisti
ab ira indignationis tuæ.

Conuerte nos Deus salutaris noster : &
auerte iram tuam à nobis.

Numquid in æternum irasceris nobis ?
aut extends iram tuam à generatione in
generationem ?

Deus tu conuersus viuificabis nos : &
plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis Domine misericordiam
tuam : & salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus
Deus : quoniã loquetur pacem in plebē suā.

Et super sanctos suos : & in eos, qui conuertuntur ad cor,

Veruntamen propè timentes eum salute ipsius : vt inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia, & veritas obuiauērunt sibi : iustitia, & pax osculatæ sunt.

Veritas de terra orta est : & iustitia de cælo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem : & terra nostra dabit fructum suum.

Iustitia ante eum ambulabit : & ponet in via gressus suos.

Gloria patri, & filio, &c.

Psalmus.

Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me : quoniam inops, & pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum : saluum fac seruum tuum Deus meus sperantem in te.

Miserere mei Domine, quoniam ad te clamaui tota die : lætifica animam serui tui, quoniam ad te Dñe animam meam leuaui.

Quoniam tu Dñe suauis, & mitis : & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te.

Auribus percipe orationem meam : & intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamaui ad te : quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis Domine : & non est secundum opera tua.

Omnes gentes , quascumque fecisti , venient , adorabunt coram te Domine : & glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu , & faciens mirabilia : tu es Deus solus.

Deduc me Domine in via tua , & ingrediar in veritate tua : lætetur cor meum , vt timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo : & glorificabo nomen tuum in æternum.

Quia misericordia tua magna est super me : & eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus , iniqui insurrexerunt super me : & synagoga potentium quæsierunt animam meam , & non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu Domine Deus miserator , & miseri-

cors: patiens, & multæ misericordiæ, & verax.

Respice in me, & miserere mei: da imperium tuum puero tuo, & saluum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, vt videant qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu Domine adiuuisti me, & consolatus es me.

Gloria patri, & filio, &c.

Psalmus.

CRedidi, propter quod locutus sum: Ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino: pro omnibus quæ retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam: & nomen Domini inuocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo eius: pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.

O Dñe quia ego seruus tuus: ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis: & nomen Domini inuocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius: in atriis domus Domini, in medio tui Ierusalem.

Gloria patri, & filio, &c.

Psalmus.

DE profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obseruaueris Domine: Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo eius: sperauit anima mea in Domino.

A custodia matutina vsque ad noctem: speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël: ex omnibus iniquitatibus eius.

Gloria patri, & filio, &c.

Deinde repetitur Antiphona.

Ne reminiscaris Domine delicta nostra,
vel parentum nostrorum: neque vindictam
sumas de peccatis nostris.

KYrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison. Pater noster.

Ver. Et ne nos inducas in tentationem.

Ref. Sed libera nos à malo.

Ver. Ego dixi, Domine miserere mei.

Ref. Sana animam meã, quia peccaui tibi.

Ver. Conuertere Domine aliquantulum.

Ref. Et deprecare super seruos tuos.

Ver. Fiat misericordia tua Dñe super nos.

Ref. Quemadmodum sperauimus in te.

Ver. Sacerdotes tui induantur iustitiam.

Ref. Et sancti tui exultent.

Ver. Ab occultis meis munda me Domine.

Ref. Et ab alienis parce seruo tuo.

Ver. Domine exaudi orationem meam.

Ref. Et clamor meus ad te veniat.

Ver. Dominus vobiscum.

Ref. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

AVres tuæ pietatis mitissime Deus incli-

na precibus nostris, & gratia sancti spiritus illumina cor nostrum, vt tuis ministeriis dignè ministrare, teque æterna charitate diligere mereamur.

Deus cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet secretum, purifica per infusionem sancti spiritus cogitationes cordis nostri, vt te perfectè diligere, & dignè laudare mereamur.

VRe igne sancti spiritus renas nostros, & cor nostrum Domine, vt tibi casto corpore seruiamus, & mundo corde placeamus.

Mentes nostras, quæsumus Domine, paracletus, qui à te procedit, illuminet, & inducat in omnem, sicut tuus promisit filius, veritatem.

Adsit nobis, quæsumus Domine, virtus spiritus sancti, quæ & corda nostra clementer expurget, & ab omnibus tueatur aduersis.

Deus, qui corda fidelium sancti spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere.

M preparat. ante altaris accessum. **M**

III

Conscientias nostras, quæsumus Domine, visitando purifica, vt veniens Dominus noster Iesus Christus filius tuus, paratâ sibi in nobis inueniat mansionem. Qui tecû viuit, & regnat in vnitâte spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO SANCTI GREGORII
ante Missam.

Facturus memoriam salutaris hostiæ totius mundi: cû illius dignitatem, & meam intueor sceditatem, conscientia torqueor peccatorum. Verûm quia tu Deus multum misericors es, imploro, vt digneris mihi dare spiritum contribulatum, quod tibi gratum sacrificium reuelasti, vt eo purificatus, vitali hostiæ piâs manus admeam quæ omnia mea peccata aboleat, & ea deinceps in perpetuum mihi vitandi cautelam infundat, omnibusq; pro quibus tibi offertur, præsentis, & futuræ salutis commercia largiaris. Per Dominum nostrum.

QUANDO SACERDOS INDVIT SE
sacris vestibus.

Iesu amabilissime, qui iniquorum manibus dirè ligari instar latronis voluisti, dirumpe, quæso, vincula peccatorum meorum, vt hostiam tibi laudis sacrificare possim, ac nomen tuum sanctum iugiter inuocare. Iesu benignissime, qui colaphizari, & immundis sputis pulcherrimam faciem tuam, in quam desiderant angeli prospicere, voluisti maculari, cædi, ac velari: illumina oculos meos, & respice in me oculis benignissimæ misericordiæ tuæ, quibus Petrum ter te negantem respexisti; omniaque mea peccata in profundissimis tuis operi vulneribus, ne in die iudicij mihi exprobrentur. Qui viuis, &c.

Dum albam Sacerdos induit, precatio.

Iesu clementissime, qui hora prima diei pro me Pilato præsidi presentari, falsoque voluisti accusari, & à Pilato ad Herodem mitti, atque ab eodem & exercitu eius derideri, vesteque alba illudi, & sic ad Pilatum reduci. Da mihi mundi huius prudentiam, quæ non nisi mera stultitia est apud te, sapi-

M preparat. ante altaris accessum. **M** 105

enter declinare, teque agnum sine macula
in stolis albis innocentiae, & simplicitatis, &
virginei candoris incessanter fideliterque
imitari. Qui viuis, &c.

Dum zona se succingit Sacerdos.

Iesu dulcissime, qui hora tertia pro me, à
Iudæis Barabbam dimitti petentibus, re-
probati, & ad columnam funiculis dirè li-
gari, flagellisque duris cædi voluisti, ita vt in
corpore tuo, à planta pedis vsque ad verti-
cem capitis, nulla in te appareret sanitas:
corripe me tu iustè in misericordia tua, dum
in hac vita sum, & noli mihi mala mea, &
peccata in diem iudicij tui reseruare. Qui
cum Deo patre, &c.

Dum manipulum induit.

Iesu charissime, qui funem quo fuisti ad
columnam in flagellatione ligatus, in si-
nistro brachio deferre voluisti, & arundinè
pro sceptro in dextra derisorie tibi dari; da
mihi funem peccatorum meorum, quibus

circumplexus sum, in sinistra detestationis & contritionis deferre, vt arundinem siue palmam victoriae, in dextera merear suscipere atque gestare. Qui, &c.

Dum stolam induit.

Iesu fidelissime humani generis amator, qui hora diei sexta crucem propriis humeris, ignominiose ad montem Caluariae depressus, inclinatus & cruentatus baiulare voluisti: da mihi sic intrepidè crucem poenitentiae quotidie baiulare; vt ad montem aeternae beatitudinis merear peruenire. Qui viuis & regnas, &c.

Dum casulam induit.

Iesu gloriosissime, qui veste purpurea, lacerata, & derisoria indui à Iudaeis atrocissime iam coronatus voluisti, & tanquam leprosus, hominumq; despectissimus coram omni populo praesentari: intimè te deprecor, vt illam miserabilem ac despicabilem vultus tui diuinissimi speciem, cordi meo

perspicaciter imprimas, fortiterq; infigas, qualem visus es, o rex gloriæ, & æternæ patriæ reparator, illa hora habuisse. Qui cum patre & spiritu sancto, &c.

Quando lauas manus celebraturus.

Domine Iesu Christe, en tibi soli peccavi, tu solus nosti iniquitatum, & negligentiarum mearum sordes: laua, & munda me in sanguine tuo ab omnibus peccatis, vitiis, & negligentis meis. Et quia totus inops, miser, egenus, & pauper sum, ne in conspectu tuo omninò appaream nudus, & confusus, da mihi merita sanctissimæ vitæ, & passionis tuæ. His me induc, quia in iis solus confidens, audebo apparere in conspectu diuinæ, & superexcellentsimæ maiestatis tuæ. Qui vivis & regnas, &c.

Alia ad idem breuior precatio.

O Misericordissime Domine Deus meus Iesu Christe, purifica me in sanguine tuo ab vniuersis peccatis, vitiis, & negli-

gentiis meis, vt puro ac simplici corde tibi
semper placeam, & amore feruentissimo in-
hæream. Amen.

*Quando lauas in Missa manus, cogita, & ingemisce pro
sordibus tuis, quòd stas ante creatorem celi & terra, cui
se totus orbis inclinât, quem angeli tremunt & adorant,
tracturus, & sumpturus indignus, adeoq; vilis & impu-
rus in oculis eius, vt cum multo dolore cordis sapius ad il-
lum clames.*

O Misericordissime Deus, propitius es-
to mihi peccatori. O colende, ô me-
tuende, ô adorande omnipotens æterne De-
us, quid facio? Tuæ misericordiæ infinitæ
me committo. Obsecro te, pietas immen-
sa, non finas vt offendam te: aut munda me
à peccatis meis, & purifica cor meum ab
omni prauitate; aut occide me, ne peccem
in te. Dulcissime Iesu, omnes sensus, om-
nes vires, cogitatus & affectus meos in-
clude & stabili intrâ cor tuum, & perpe-
tuò ibi sepeli, vt tecum sim, & maneam to-
tus in æternum. Laua me Domine ab om-
nibus peccatis, vitiis, & negligentis meis,
quo templum spiritus sancti effici merear.
Ah, vtinam puro, simplici, ac humili corde

Intuens vulnus sinistræ manus Christi, dicito:

Deus propitius esto mihi peccatori, & libera me ab omni acedia & negligentia.
Amen.

Intuens vulnus cordis piissimi Iesu, dicito:

Deus propitius esto mihi peccatori, & libera me ab omni alieno amore, & priuato: propter quem nec te purè quæsiui, nec rectè sincereque dilexi proximum. Amen.

Postremò dic mentaliter, aut (si aliter non potes) vocaliter in hunc modum Christum alloquens:

Eia, Saluator & Redemptor benignissime, omnia peccata mea, omnia vitia, omnesque meas negligentias in cor tuum hoc amantissimum atq; misericordissimum pono: Deus meus, mihi propitius esto miserimo peccatori. Domine Deus meus, vtinam nõ offendissem te, vtinam ab omni peccato essem liber & immunis. Ignosce misericordissime, ignosce, & infunde mihi contritionem intensissimam vehementemque, qua ex omnibus medullis meis peccata mea do-

lens lugeam. Da mihi emendationem vitæ
 meæ, qua deinceps ab omni peccato pro
 tui amore abstineam ac caueam. Imitatio-
 nem quoque vitæ tuæ, qua omnia quæ tibi
 beneplacita sunt faciam. Heu, Domine Ie-
 su, cor meum prauum, durum, tibi infidele,
 & ingratum aufer à me, & da mihi cor tu-
 um, aut cor aliud secundum cor tuum, pu-
 ta humilissimum, fidelissimum, castissimū,
 misericordissimumque, quod simplifies,
 tui amore vulneres, tua charitate impleas,
 in te transformes, tibi que vnias. Amen.

*Secundo necesse est, vt Christo pro peccatis tuis sa-
 tisfacias. Quod cum te posse desperes, tuum erit
 illius ei satisfactionem, quam pro te patri exol-
 uit, offerre, & diuidere ea, qua pro te passus
 est, in vulnera singula, quomodo ante lugens pec-
 cata tua commemorasti.*

Itaq; intuens vulnus dextri pedis Christi, dicit:

ADoro te misericordissime Deus, tibiq;
 gratias ago pro cunctis grauaminibus, labo-
 ribus, incommodis, & fatigationibus tuis,
 mei causa toleratis. En clementissime Iesu,
 hæc tibi in hoc vulnere nunc offero. Offer

tu eadem patri tuo pro peccatis meis, & pro peccatis totius mundi, viuorum scilicet & defunctorum, in vnione huius charitatis, qua hæc sustinuisti. Amen.

Intuens secundum vulnus sinistri pedis.

Adoro te misericordissime Deus, tibi que gratias ago pro cunctis iniuriis, persecutionibus, opprobriis, derisionibus, & contemptu: quæ omnia propter me tolerasti. En clementissime Iesu, hæc tibi in hoc vulnere nunc offero. Offer tu eadem patri tuo pro peccatis meis, & pro peccatis totius mundi; viuorum scilicet & defunctorum, in vnione huius charitatis, qua hæc sustinuisti. Amen.

Intuens vulnus dextræ manus.

Adoro te misericordissime Deus, tibi que gratias ago pro cunctis doloribus, poenis, cruciatibus, vulneribus, & liuoribus tuis, mei amore toleratis. En clementissime Iesu, hæc tibi in hoc vulnere nunc offero. Offer tu eadem patri tuo pro peccatis meis, & pro peccatis totius mundi; viuorum scilicet & defunctorum, in vnione huius charitatis,

qua hæc sustinuisti. Amen.

Intuens vulnus sinistrae manus.

Adoro te clementissime Deus, tibi que gratias ago pro cunctis singulisque pretiosi sanguinis tui guttis, mei causa in tua crudelissima passione effusis. En misericordissime Iesu, hæc tibi in hoc vulnere nunc offero. Offer tu eadem patri tuo pro peccatis meis, & pro peccatis totius mundi; viuorum scilicet & defunctorum, in vnione huius charitatis, qua hæc sustinuisti. Amen.

Intuens vulnus lateris, seu cordis, dicit:

Adoro te piissime Deus, tibi que gratias ago pro cunctis gemitibus, suspiriis, tristitiis, pressuris que cordis, fletibus quoque; & lacrymis pro me effusis, & pro amarissima morte tua mei amore tolerata. En misericordissime Iesu, hæc tibi in hoc vulnere nunc offero. Offer tu eadem patri tuo pro peccatis meis, & pro peccatis totius mundi, viuorum scilicet & defunctorum, in vnione huius charitatis, qua hæc sustinuisti. Amen.

Tertio, in corde Christi gratias illi age pro ipso

charitate: spiritu, & mente, dicens hoc modo:

Adoro te misericordissime Iesu, & benedicens gratias ago tibi in hoc vulnere tuo, pro cunctis beneficiis tuis, quæ, vel mihi, vel vlli homini, aut creaturæ tuæ exhibuisti, & pro ingenti charitate, qua pro nobis patiens, beneficia nihilominus ac munera tua nobis dedisti: quæ omnia tibi in laudem & gloriam tuam, pro peccatis meis, ac totius mundi tibi offero: & vt tu eadem patri tuo pro omnibus nobis offeras, supplex rogo. A.

Si es celebraturus, vel sacramentaliter, vel spiritualiter communicaturus.

IN eodem vulnere cordis tui, dulcissime Iesu, cupio ad mensam tuam accedere, & in honorem, in memoriamq; tuæ charitatis, hoc est, in memoriam tuæ sanctissimæ incarnationis, natiuitatis, vitæ, passionis, vulnerum, sanguinis, dolorum, ac mortis tuæ opto sacrificium illud, quo te ipsum nobis dedisti, atque in illius vnione me ipsum tibi offerre in holocaustum, in gloriam, & beneplacitum tuum: obsecrans te per infinitam bonitatem tuam, induere me vestibus

innocentiæ, virtutum meritorumque sanctissimæ vitæ tuæ, vt in vnione eiusdem deuotionis, charitatis, puritatis, ac reuerentiæ, qua tu hoc sacramentum instituisti, sumpsisti, nobis dedisti, & à nobis frequentari illud in tui memoriam voluisti, accedam, & ardentissimis charitatis desideriis illud gratia tua dignū me faciente, suscipiā. Amē.

ORATIO B. THOMAE DE AQVINO,
*quam dicebat quotidie ante Crucifixum
genibus flexis.*

Concede mihi, misericors Deus, quæ tibi placita sunt ardentè concupiscere, prudenter inuestigare, veraciter agnoscere, & perfectè adimplere, ad laudem, & gloriam nominis tui. Ordina statum meum, & quod à me requiris, vt faciam, tribue vt sciam. Et da exequi sicut oportet, & expedit animæ meæ. Da mihi Domine Deus meus inter prospera & aduersa non deficere, vt in illis non extollar, & in istis nō deprimar: de nullo gaudeam, vel doleam, nisi quod ducat ad te, vel abducat à te. Nulli

placere appetam, vel displicere timeam, nisi tibi. Vilescant mihi Dñe omnia transitoria, & cara mihi sint omnia tua, propter te, & tu Deus præter omnia. Tædeat me gaudij, quod est sine te, nec aliquid cupiam, quod est extra te. Delectet me Domine labor, qui est pro te, & tædiosa sit mihi omnis quies, quæ est sine te. Frequenter da mihi Domine cor ad te dirigere, & in defectione mea cum emendationis proposito dolendo pensare. Fac me, Domine Deus, obedientē, sine contradictione: pauperem, sine defectione: castum, sine corruptione: patientem, sine murmuratione: humilem, sine fictione: hilarem, sine dissolutione: tristem, sine deiectione: maturum, sine grauitate: agilem, sine leuitate: timentem, sine desperatione: veracem, sine duplicitate: operantē bona, sine præsumptione: proximum corrigere, sine elatione, ipsum ædificare verbo & exemplo, sine simulatione. Da mihi, Domine Deus, cor peruigil, quod nulla abducatur à te curiosa cogitatio: da nobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio: da rectum, quod nulla deorsum obliquet sini-

stra intentio : da inuictum, quod nulla frangat tribulatio : da liberum, quod nulla sibi vendicet peruersa & violenta affectio. Largire mihi, Domine Deus meus, intellectum, te cognoscentem: diligentiam, te querentē: sapientiam, te inuenientem : conuersationem, tibi placentem : perseuerantiam, te fideliter expectantem : & fiduciam, te finaliter amplectentem ; tuis pœnis configi per poenitentiam, tuis beneficiis vti in via per gratiam, & tandem tuis gaudiis in patria perfrui per gloriam. Qui cum patre & spiritu sancto viuis & regnas Deus, in secula seculorum. Amen.

EXERCITIUM PRAEPARATORIVM AD
*Communionem, in septem effusiones sanguinis
 Christi: quibus contra septem peccata mortalia,
 septem virtutes ac beatitudines appli-
 cantur, distinctum.*

ORATIO CONTRA LVXURIAM.

Iesu benignissime, Deus meus, tibi confiteor, teq; laudo, qui propter nos omnem miseriam nostræ naturæ, absq; peccato, su-

scipiens, homo factus, mox vbi mundum ingressus es, diuinæ legi voluisti te subiicere, circumcidi que, & sanguinē pro nobis fundere. Pro hac charitate & bonitate tua, & pro hac quoque sanguinis effusione, te adoro, te benedico, tibi que gratias ago; & per eandem sanguinis tui effusionem, te obsecro, vt omnem luxuriæ speciem de corde meo, & de carne mea penitus auferas, eius concupiscentiam in me carnalem radicitus mortifices, & extinguas; vt in puritate & castissima simplicitate mentis, in vera munditia cordis, denique in pudicissima corporis castitate tibi perpetuò, inauertibiliter que adhæream.

Ah, misericordissime Iesu, vtinam in hac effusione sanguinis tui merear ab omnibus peccatis, vitiis, & negligentis meis, nunc expiari, quo ex tua misericordia & gratia, perceptione sacrosancti corporis & sanguinis tui dignus efficiar.

ORATIO CONTRA SVPERBIAM.

Iesu benignissime, Deus meus, adoro, laudo, benedico te, & gratias tibi ago pro an-

gustia, pressuraque cordis tui, quam in monte Oliueti inter orandum pertulisti, præmeditans acerbissimas horrendasque passionis ac mortis tuæ pœnas, & cruciatus tunc tibi imminentes, quos iuxta naturam sensualitatemque exhorruisti, rursusque secundum rationem tanto eadem nos redimendi desiderio concupisti; vt contrariis his desideriis simul compugnantibus, teque in agone interea constituto, sudor ex te decurreret sanguineus. In hac, quæso, Christe Iesu, angustia tua, per hanc quoque effusionem sanguinei sudoris tui, ex te abundè promanantem, obsecro te, vt omnem superbiam, omnesque superbix species in me conteras, extermines, ac deleas. Infunde mihi, quæso, profundissimam perfectissimamque humilitatem, qua peccata mea, ingratitudeque meam perfectè cognoscam, odiam, indesinenter lugeam, meipsum quoque contemnam, atque ab omnibus contemni diligam.

Ah, misericordissime Iesu, vtinam in hac effusione sanguinis tui, merear ab omnibus peccatis, vitiis, & negligentis meis, nunc expiari, quò ex tua misericordia, & gratia,

perceptione sacrosancti corporis & sanguinis tui dignus efficiar.

ORATIO CONTRA IRAM.

Iesu benignissime, Deus meus, pro dira flagellatione, tenerrimi nobilissimi que corporis tui vndique vulnerati, & pro effusione pretiosissimi sanguinis tui, adoro, & benedico te, gratias que tibi ago. Compesce & extingue in me omnes iracundie impatientie que motus. Nullum finas, pie Iesu, in cor meum intrare, aut morari ibi rancore, amaritudinem, seu displicentiam. Infunde mihi, quaeso, perfectissimam mititatem, ac mansuetudinem cordis, qua cuncta aduersa aequanimiter suscipiam, patientissime, ac cum gratiarum actione tolerem, ac me totum tibi resignem, plene ac funditus relinquam.

Ah, misericordissime Iesu, utinam in hac effusione sanguinis tui, merear ab omnibus peccatis, vitiis, & negligentis meis, nunc expiari, quo ex tua misericordia, & gratia, perceptione sacrosancti corporis & sanguinis tui dignus efficiar.

ORATIO CONTRA ACEDIAM.

Iesu benignissime, Deus meus, pro acerbissima coronatione spinarum caput tuum compungentium, pro largissimaq; effusione riuulorum sanguinis tui, per genas, oculos, & collum tuum defluentium, adoro, laudo, & benedico te, gratiasq; tibi ago; suppliciter te rogans, vt omnem acediam, torporem, pigritiam, negligentiamq; à me radicitus tollas: deuotionem verò feruentissimam, alacritatemq; spiritus in tuo maximo seruitio mihi infundas; vt iustitiam, virtutem, animarum salutem, tui quoque amorem, honorem, ac gloriam tuam, cor meum vehementer esuriat, ardentissimèq; ficiat; adeò vt quæ extra te sunt cuncta fastidium: tu verò solus totus perfectissimè ac perpetuò mihi placeas in omnibus, & super omnia.

Ah, misericordissime Iesu, vtinam in hac effusione sanguinis tui, merear ab omnibus peccatis, vitiis, & negligentis meis, nunc expiari, quò ex tua misericordia, & gratia, perceptione sacrosancti corporis & sangui-

nis tui dignus efficiar.

ORATIO CONTRA AVARITIAM.

Iesu benignissime, Deus meus, pro vestium
tuarum extractione, pro corporis tui de-
nudatione in oculis hostium tuorum, pro
tui derisione, pro vulnerum dolorumque
renouatione, pro sanguinis nobilissimi ef-
fusione, & conculcatione, adoro, laudo, &
benedico te, ac gratias tibi ago: te obsecrās
per misericordiam tuam, vt mundi amore,
& omni amore creaturarū priuatoque, aut
abs te alieno me exuas, prorsusque liberum
facias, quo paupertatem, contemptum, &
simplicitatem ex animo diligam, desidera-
tissimè feram, & cælestia bona, te verò su-
per omnia æstuantissimis desideriis concu-
piscam.



Ah, misericordissime Iesu, vtinam in hac
effusione sanguinis tui, merear ab omnibus
peccatis, vitiis, & negligentis meis, nunc
expiari, quò ex tua misericordia, & gratia,
perceptione sacrosancti corporis & sangui-
nis tui dignus efficiar.



ORATIO CONTRA GVLAM.

Iesu benignissime, Deus meus, pro extensione membrorum tuorum omnium in cruce, pro perfossione crucifixioneque manuum tuarum ac pedum, pro largissima effusione tui sanguinis decurrentis è vulneribus tuis, per diutinam crucipendentiam ampliatas, quo crucem rigabas ac terram, adoro, laudo, benedico te, & gratias tibi ago; obsecroque, vt me ab omni intemperantia, & indiscretionem sobrium & continentem facias, piissime Deus. Cor pacificum, mitissimum, ac benignissimum mihi præbeas, quod pacem diligat, paci studeat, foueat concordiam, schismata & scandala tollat; & ad vñionem amoris illam felicissimam, qua tecum vnum efficimur, qua vnus amor, vnaque nobis tecum est voluntas, indefinenter aspiret.

Ah, misericordissime Iesu, vtinam in hac effusione sanguinis tui, merear ab omnibus peccatis, vitiis, & negligentis meis, nunc expiari, quò ex tua misericordia, & gratia, perceptione sacrosancti corporis & sangui-



nis tui dignus efficiar.

ORATIO CONTRA INVIDIAM.

Iesu benignissime, Deus meus, pro apertione lateris, ac cordis tui mucrone lanceæ vulnerati, pro effusione sanguinis & aquæ inde emanatis, adoro, laudo, & benedico te, gratiasque tibi ago. Quandoquidem cor tuum, tam mihi, quàm aliis peccatoribus ad te redeuntibus, reserasti. Per huius misericordissimi cordis tui pietatem, te obsecro, vt de corde meo auferas omnem liuorem, amarulentiam, atq; inuidiam. Piissime Deus, aufer à me cor durum, ac prauum, cor superbum, ac liuidum; & da mihi, aut cor tuum, aut cor secundum cor tuum, piissimū, fidelissimum, mitissimum, misericordissimum, humillimum, obedientissimum, omnifaria mortificatione, ac resignatione perfectum, fide, spe, ac charitate perpetua plenum, quod in te indefinenter teneas absorptum, & ad omnes homines, præsertim ad inimicos, dilectione, & miseratione reddas effusum.

Ah, misericordissime Iesu, vtinam in hac

effusione sanguinis tui, merear ab omnibus peccatis, vitiis, & negligentis meis, nunc expiari, quò ex tua misericordia, & gratia, perceptione sacrosancti corporis & sanguinis tui dignus efficiar.

VENERATIO SS. MORTIS
Iesu Christi.

Iesu misericordissime, vita, & spes mea Deus: ecce nunc tibi offero omnem laborem, & fatigationem tuam, omnem penuriam, contemptum, aduersitates, & incommoda tua, omnes pœnas, dolores, vulnera, liuores tuos, omnes pressuras, tristitias, & angustias tuas. Ad extremũ, crucem tuam, & mortem acerbissimam, hoc est, dolorosissimam, benedictæ animæ, & corporis tui, separationem. Pro quibus omnibus te laudans, & gratias tibi agens, te Deum meum adoro. Offero autem hæc omnia, quæ pro me sustinuisti, & ipsam immensam charitatem tuam, quæ ad patiendum te pro nobis induxit, tibi nunc, Christe Iesu, pro peccatis meis, & pro peccatis totius mun-

di, tam viuorum, quàm mortuorum. Obsecro autem te per omnia, quæ innocens pro me passus es, da mihi infatigabilem iugemque patientiam, qua omnia, quæ tu super me venire permittis, tui amore patientissimè tolerem, & in laudem, gloriam, & beneplacitum tuum, me totum, quod sum, ac possum, omnes scilicet vires, & motus corporis mei expendam. Amen.

EXERCITIUM ALIUD FIGURAS SACRÆ SCRIPTURÆ QUADRANS, IMITANS MULIEREM CHANANÆAM.

AD te venio, Christe Iesu, Saluator mundi, vt mulier olim ad te venit Chanaanæ, filia, hoc est, animæ meæ, carnis concupiscentiis, immundis variisque tentationibus vexatæ, salutem petens. Ad hoc enim venisti in mundum, tu piissime, vt saluos facias peccatores, & oppressos à Diabolo. Idcirco, miserere mei, quæso, & salua me.

Quomodo autem hæc mulier donec exaudita est, orare non desit; fac tu me quoque; vt ab oratione non quiescam, sequar te quo-

cunque ieris, perseuerem humiliter, suppliciter, ac plenus pia orans fiducia, quandoquidem orare & petere nos iubens, exauditurum te cum patre promissisti. Quando enim tu, qui piissimus es, pulsanti non aperires? aut quando perseueranter te inuocantem, non saluares? Miserere igitur, quaeso, mei, Deus meus, & salua me.

Non sum, piissime Deus, filiorum pane dignus, qui catellus saltem tuus, utinam dignè vocari merear; tibi Domino meo inseparabiliter adhærens, pro tui honore zelās, ac latrans, ut de micis gratiarum tuarum indefinenter quoque alar. Et quamuis inter peccatores sim maximus, quantum tamen omnes te diligunt sancti, te Deus meus amare cupio, in vnione omnium desideriorum tuorum te desidero. Miserere, quaeso, mei, Deus meus, & salua me. Amen.

IMITANDO CENTVRIONEM.

AD te, Christe Iesu, Saluator mundi, cū Centurione quoque nuncios premitto, beatissimam ac electissimam tuam Ma-

trem, sponſas tuas virgines ſanctas, ac Mariam Magdalenam, quibus nihil negare potes, ſanctosque tuos omnes, vt pro me intercedant, & accedere indignū ſordidumq; tuis vulneribus lauent, tuis meritis veſtiant. Tu verò miſerere, quæſo, mei, Deus meus, & ſalua me.

Scio planè ex tua miſericordia infinita, Domine mi Ieſu Chriſte, Deus meus, id prouenire, vt venias ad me: quamuis ad hoc indigniſſimus ſim, vt intres ſub tectum meū. Sed numquid te repellere, aut à te fugere debeo? Quò enim fugiens fugiam? Magis ad tuam miſericordiam clementiſſimā mihi confugiendum eſt. Ad te igitur, clementiſſime Ieſu, confugio. Miſerere, quæſo, mei, Deus meus, & ſalua me.

Scio, quoniam ſi dixeris tantū verbum, ſalua erit anima mea. Idcirco totum me reſigno beneuolentiſſimæ tuæ prouidentiæ, & totum trado me tuo ſanctiſſimo beneplacito. Miſerere, quæſo, mei, Deus meus, & ſalua me. Amen.

I M I T A N D O R V T H.

AD te Christe Iesu venio, Saluator mundi, tua cum Ruth sequi vestigia cupiens. Obsecro autem te per omnes miserationes tuas, vt vulnera, dolorē, passionem, ac mortem tuam indelebiter meo cordi imprimas: in his memoria mea, omnes cogitationes, & omnes motus cordis mei continuè versentur, & absorbeantur. Quidquid video, audio, & sentio, in vulnera tua intingam, ac traham. Vulnera tua, indies me vulnerent, & tui amor, indies ignoscens inflammet. Tu verò miserere, quæso, mei, Deus meus, & salua me.

Fac tu me Domine sollicitum, feruoremque mihi infunde sanctum, quo tuæ sanctissimæ vitæ, sanctorumque tuorum virtutes & exempla inuestigans, & cum Ruth spicas colligens, imitari hæc studeam; vt in aduersitatum omniū trituram, ac tribulationem tam amanter, quam gaudenter me quoque tibi plenè sacrificem. Quod vt obtineam, miserere tu, quæso, mei, Deus meus, & salua me.

Ante omnia autem charitatis excellentissimæ, perfectissimæ, perpetuæq; me pal-

lio operias rogo, quam tu, quæso, mihi largiaris, vt veste hac nuptiali nullo vnquam momento caream, quo ad post mortem illico coenam gaudij cælestis, te introducente, ingredi merear. Nunc igitur miserere, quæso, mei, Deus meus, & salua me. Amen.

IMITANDO ZACHAEVM.

Coram te sto en clementissime Iesu, (me miserum) frigidus, & siccus. Tu igitur incende in me, quæso, esuriem & sitim iustitiæ, vt cum Zachæo indies te esuriat, sitiati que cor meum. Te igitur inuoco: Veni vt miserearis mei, Deus meus, & salues me. Recipiam te in hospitium cordis mei, Deus meus, pascam te alacriter amore & reuerentia. Sed vnde te pascam? à te recipiã, & rursus pascam gratia tua, qua intimus tibi coniungi, nec vnquam à te valeam separari. Tu igitur, quæso, miserere mei, Deus meus, & salua me. Amen.

Tibi itaque Domine, omnibus fratribus & proximis meis in corde meo sit hospitium charitatis & pacis, cui omnis liuor & ira ab-

fit : ad omnes verò sit in me patientia, misericordia, deuotio, & tranquillitas, omnium offensionibus ignoscam, omniaque in me peccata dimittam. Tu verò miserere, quæso, mei, Deus meus, & salua me. Amen.

IMITANDO MATTHAEVM.

TRahe me post te, dulcissime Iesu, vt inter tristia & aduersa cum Mattheo sequar te in omnibus, nec tu patiaris me recedere à te, sed miserere mei, Deus meus, & salua me.

Parem tibi in me conuiuium desideriorum sanctorum amore tui æstuantium. Sed quid parabo mendicus & pauper? Tu igitur da mihi, quæso, dulcissime Iesu, quod tibi parem, quod tibi offeram, & in quo beneplaceat spiritui tuo. Tu quoque miserere, quæso, mei, Deus meus, & salua me.

Quomodo autem tu dixisti tunc, piissime ac misericordissime Deus, misericordiam te malle quàm sacrificium, fac vt cor meum totum per misericordiam, tibi sacrificem, compatiens singulorum necessitati-

bus, & subuenire pro viribus fatagens omnium indigentis. Factu, quæso, me misericordissimum in omnes, vt tuam quoque ego misericordiam plenam recipiam. Miserator piissime, miserere, quæso, mei, Deus meus, & salua me. Amen.

IMITANDO MARTAM ET MARIAM.

CUm metu & reuerentia, excellentissime me & omnipotens Deus, fac me tuo altari assistere, omnem negligentiam cauere, & deuotè, attentè, ac vigilanter tibi ministrare. Miserere tu, quæso, mei, Deus meus, & salua me.

Nulla me occupatio, nulla me concupiscentia, nulla denique sollicitudo à te, suavissime Iesu, diuidat, aut auertat, sed mens mea cum Maria Magdalena tui amore inebriata, tibi soli vacet, in te rapiatur, tibi inhæreat. Audi me, quæso, piissime Iesu, miserere mei, Deus meus, & salua me.

Vnum te cognoscam necessarium, cui soli purè intendam, quem solum quæram, in quo pascatur, & quiescat anima mea.

Quapropter teipsum mihi largire. Misere-
re, quæso, mei, Deus meus, & salua me. A.

M E D I T A T I O.

Quis es tu, Domine mi, & quis sum e-
go, qui audeo tibi appropinquare?
Quid est homo, quòd possit in se Deum re-
cipere, factorem suum, & redemptorem?
Quid est homo natura sua, nisi vas corru-
ptionis, & putredinis? filius Dæmonis? hæ-
res inferni? operator peccatorum? cõtem-
ptor Dei? & creatura ad omne bonum ine-
pta, ad omne verò malum aptissima, prom-
ptissimaque.

Quid est homo, nisi animal omnibus in
rebus miserabile? in consiliis suis cœcum?
in operibus suis inconstans? in appetitibus
immundū? in desideriis lubricum? in om-
ni re paruum, & in propriis oculis magnum?
Vide Domine, vide hîc quis sim ego.

Sed tu, quis es Domine mi? tu magnus
es, sine quantitate: tu bonus, sine qualitate:
tu suavis, sine mensura: tu æternus, sine tem-
pore. Tu es omnipotens in virtute, immen-

sus in sapientia, admirabilis in consiliis, terribilis in iudiciis, perfectus & absolutus in omni virtute.

Quomodo itaque tam vilis & immunda creatura, audet adire & contingere Deum tantæ Maiestatis? *Ecce luna etiam non splendet, & stelle non sunt mundæ in conspectu eius. Columnæ cæli contremiscunt, & paucæ ad nutum eius.* Altissimi illi Seraphin contrahunt alas suas, & in conspectu tuo fatentur sese papiliones, seu vilissimos alios vermiculos. Quæ igitur audacia, quæ temeritas, ut homo vilissima & abiectissima creatura, audeat tantum Dñm in se recipere!

Sanctus ille Baptista Ioannes, in utero matris suæ sanctificatus, non fuit ausus, cum baptizaret Dominum, tangere verticem illius: imò indignum se testatus est, qui solueret corrigiam calceamenti.

Princeps Apostolorum exclamat dicens: *Exi à me Domine, homo enim peccator sum.* Quomodo ergo audebo ego, qui peccatorum facilè princeps sum, tibi appropinquare? Si panibus propositionis, qui tantum umbra erant profundissimi huius mysterij,

nemini licuerit vesci, nisi qui mundus erat & sanctificatus: quâ potero securus esse ego, qui manduco panem angelorum, cum tamê tam procul absim ab omni sanctitate?

Agnus ille paschalis, qui erat typus & figura huius sacramenti, iuxta mandatû Dei, comedi debebat cum panibus azymis, & lactucis agrestibus: qui autem comedebât, renes accinctos, & calceamenta in pedibus habere debebant. Ah, quomodo audebo ego, ad verum hunc Agnellum paschalem accedere, qui nullam harû præparationum habeo? Quid enim aliud panis azymus, quâ puritas sine fermento malitiæ? quid sunt lactucæ amaræ, nisi vehemens contritio? vbi est puritas renum: vbi pedum, id est, sanctorum desideriorum, mundities.

Timeo Domine, & vehementer timeo, ne fortè malè excipiar in hac mensa, si quid horum mihi desit apparatus.

Hac mensa prohibitus, imò ab ea reiectus est ille, qui sine veste nuptiali accesserat (quæ quidem charitas ipsa est) ligatisq; manibus & pedibus, in tenebras exteriores proturbatus est. Quid ego aliud nunc ex-

pecto, si & ego absque hac veste me in hoc conuiuium ingessero?

O diuini oculi, cui aperti sunt & manifesti omnes animæ meæ sinus & anguli, quid fiet de me, si ante te vacuus & nudus apparuero?

Arcam, quæ figura tantum fuit huius sacramenti, attingere tantum nefas fuit, ut Sacerdos Oza, qui ad eam casum minitanti manum extendit, & tenuit, subitanea morte percussus sit: qui possem ego non timere, & poenam eandem metuere, si ego indignè percepero id, cuius arca illa figura tantum fuit?

Betsamitæ nihil aliud deliquerant, quam quòd Arcam foederis curiosius erant intui- ti, cum ea per fines eorum deportabatur; & tamen adeò indignatus est Dominus, ut ob eam solam causam, septuaginta de populo viros, & quinquaginta millia plebis occiderit. Sed, ô misericordissime Domine, quantum augustius est sacramentum hoc, Arca foederis? quantum periculosius est recipere te, quam te videre?

Quare itaq; non meritò horrere & con-

tremiscere debeo, quoties venio ad sumendum Dominum tantæ Maiestatis & iustitię? Et si tot causæ sint cur debeam timere tuam magnitudinem; quot erunt rationes metuendi, si perpendam peccatorum meorum multitudinem? Memor enim sum, Domine, multorum grauiumq; criminum meorum, quibus diuinam tuam maiestatem offendi in hoc mundo.

Fuit, fuit aliquando (gratia tibi Domine quòd iam non est) tempus illud, quando infinitam tuam pulchritudinem, summa oblivione apud me sepultam, minimè amarem: quando pulvis creaturarum tuarum maiori apud me in pretio fuit, quàm thesaurus gratiarum tuarum, & spes gloriæ sempiternæ. Lex & regula vitę meæ erant mea desideria, & inordinati appetitus; nullam tui rationē, nullam tui habebam reuerentiam: quoniam te non cognoscebam.

Ego sum insipiens ille, qui dixit in corde suo: *Non est Deus*: tam dissolutè siquidem aliquamdiu vixi, vt moribus meis profiterer, quòd crederem, te aut non esse, aut nihil esse. Non laboravi, vt in amorem tuum

deuenirem, non timui iustitiam tuam, non veritus sum legem tuam præuaricari, gratias quas debui non reddidi tibi; etsi te omnibus in locis præsentem sciebam, non tamen in tuo conspectu peccare securè & grauius erubui.

Quicquid oculi mei desiderârunt, id omne illis permisi, nec cordi meo violentus fui, aut rigidus, quo minus ipsi delectationes eius subtraherem: & quod genus flagitij est, quo anima mea sese non coinquinauit?

Quid aliud fuit vniuersa vita mea, quàm assiduum bellum contra me? quid aliud, quàm renouatio omnium tormentorum, totiusque tuæ passionis? Quoties ego te pro momentanea voluptate, aut minimo lucro, tanquam alter Iudas vendidi? Veniens itaque nunc vt te percipiam, quid aliud ago, quàm osculum tibi cum ipso Iuda, quo te tradam, postquam iam vendidi? Quid aliud feci, quum aliàs communicauit, quàm cum militibus te delusi, tibi que insultaui, genu flectens, & te adorans; illic arundine benedictum caput tuum percutiens?

Quomodo itaque; audebo te recipere, mi

Domine, in statu tam immundo, & flagitioso: tam ero temerarius, vt sacratum corpus tuum reponam in speluncam draconū, & in nidum serpentum? Quid aliud est anima peccatis plena, quàm habitaculum Dæmoniorum? stabulum bestiarum? porcile & cloaca omnis immunditiei?

Quomodo tu requiesces hîc, Domine, qui puritas es virginalis? & qui fons es omnis pulchritudinis, quomodo in loco tam abominabili poteris habitare? Quæ participatio iustitiæ, cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conuētio Christi ad Belial? O flos campi, ô lilium conuallium, ô panis angelorum, quomodo pabulum nunc factus es bestiarum!

Quare diuinum hunc cibum das canibus, & pretiosas margaritas mittis ante porcos? O amator animarum purarum & mundarum, qui pascaris inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur vmbre, quod pabulum tibi dare potero, in hoc corde meo, vbi nihil crescit præter tribulos, & spinas! Lectulus tuus est de lignis Libani, columnæ eius aureæ, reclinatorium tuum aureū, & ascen-

sus purpureus: in cubili cordis mei nihil horum reperitur. quam itaq; sedem tibi illuc intranti ponam? quem lectulum sternam?

Sanctissimum corpus tuum de cruce sublatum mundissimæ sindoni fuit inuolutum, atque in sepulchrum nouum positū, in quo nemo adhuc fuerat sepultus. Quæ verò pars animæ meæ munda est? quæ noua, in qua te potero sepelire? Quid os meum aliud, quam sepulchrum patens, de quo nihil præter foetores, & corruptiones peccatorum meorum procedit? Quid cor meum, nisi fons pessimorum appetituum & desideriorum? Quid voluntas mea, nisi domus & reclinatorium Dæmonis? Quomodo itaq; audebo tibi appropinquare, te recipere, & labiis meis impuris osculari? nullus angulus est in anima mea, qui mundus est, & purus, quiq; non sæpius diuersis peccatorum generibus est prophanatus. Non habeo itaque sepulchrum mundum, & nouū, in quo te condam. O Redemptor, & Saluator mi, pudore suffundor, quoties me tali in statu video: erubescor, perpendens qualis ad hoc augustum & regale tuum conuiuium acce-

do, qualis in amplexus sponsi cælestis curro, qui stat iterum paratus, vt me benigne recipiat.

ALTERA PARS HVIVS
meditationis.

Agnosco, Domine, agnosco magnam indignitatem meã, & maxima tua misericordia non est à me abscondita: hæc est, quæ mihi suggerit audaciam, & dat fiduciam ad te veniendi, qualis, qualis etiam sum. Quò enim indignior venio, eò magis glorificaris tu, si non repellas me, aut odio prosequaris, creaturam tam immundam.

Domine, tu non soles repellere peccatores, sed vocas eos, & conuertis ad te. Tu es qui dixisti: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Tu es qui dixisti: *Non opus est sanis medico, sed his qui malè habent.* De te publicè dictum fuit, quòd publicanos & peccatores recipiebas, & cum illis vescebaris. Domine mi, tu non mutasti naturam, quam tunc habuisti; & propterea firmiter credo, quòd etiam nũ de cælo vocas illos, quos tunc in terra vocasti.

Quapropter & ego pia ista vocatione illectus, venio ad te, peccatorum pondere prægrauatus, & tu me exonerabis: venio laborans, & oneratus, & tu me reficies: venio tanquam infirmus ad medicum, & tu me sanabis: tanquam peccator ad fontem iustitiæ, & tu me iustificabis. Tu recipis peccatores, atque manducas cum illis, & cibus tuus est conuersari cum illis.

Si tantopere delecteris, Domine, talibus conuiuis, ecce habes hîc insignem peccatorem, quo cum potes mâducare panem istû. Credo equidê, Redemptor mi, multò plus te oblectasse lachrymas illius publicæ peccatricis, quàm superbum epulum tumidi illius Pharisæi; propterea nec despexisti illâ, nec à te vt peccatricem repulisti, sed potiùs benignè recepisti, peccata illius dimisisti, & contra assidentium calumnias defendisti: pro paucis lachrymarum guttis, multa illi peccata condonasti.

Ecce, Domine, hîc noua tibi maioris gloriæ offertur materia: datur occasio. ecce hîc iacet peccator, qui multò quidem plura habet peccata: lachrymas verò multò pau-

ciores. Illa nec prima, nec vltima fuit, quā tua misericordia suscepit: multa similia fecisti Domine, & multa similia restant tibi adhuc facienda. Intra Domine nunc numerum illorum, auspicare, recipe in gratiam eum, qui te grauius offendit, & leuius propter offensionem plangit. Non habet hic tot lachrymas, vt pedes tuos queat lauare; sed tu tantum sanguinis effudisti, quantum sufficit ad ablutionem peccatorum totius mundi.

Ne indignè feras, Domine mi, quòd talis existens, qualem me vides, audeam venire in conspectum tuum. Memento quòd non indignatus es, cum paupercula illa, quæ sanguinis fluxum patiebatur, clam ad te venit, quærens remedium suæ infirmitatis, & apprehendens simbriam vestimentorum tuorum; sed potiùs laudasti illam, & corroboraisti dicens: *Confide filia, fides tua te saluam fecit.* Nunc ego & maiorem & periculosiorem sanguinis fluxum patiens, quique minus est curabilis, quid agam? quò me vertam? ad quem ibo, nisi ad te Domine, vt beneficium sanitatis adipiscar?

Domine mi, tu nec officium tuum, nec naturam, & consuetudinem tuam mutasti, quam habuisti, cum nobiscum in terris verfabaris; etiamsi nunc in caelos abieris, & procul à nobis abesse videaris. Si enim mutatio in te facta esset, alia scriptura nobis, & alio esset opus Euangelio, quod doceret nos, quid nunc de te credere, quid de te in caelo residente sperare debeamus.

Lego, Domine, in sanctis tuis Euangelis, quod omnes qui male habebant, ad te confluerunt, & quod omnis turba quaesivit te tangere, eò quod virtus exibat de te, & sanabat omnes. Ad te venerunt leprosi, & tu extendebas benedictas manus tuas, & mundasti illos: ad te venerunt coeci, surdi, paralytici, daemonesiaci. Ad te denique omnia monstra huius mundi cucurrere, & nulli eorum auxilium denegasti. In te solo salus est, in te medicina & remedium malorum omnium. Promptior es tu ad dandam salutem, quam illi sunt ad poscendam.

Quò itaque ibimus in necessitatibus nostris, Domine, nisi ad te? Verè etenim cognosco Domine, quod diuinum hoc sacra-

mentum, non est tantum cibus eorum, qui sani sunt; sed medicina quoq; malè habentium, & infirmorum: non tantum fortitudo est viventium, sed & resurrectio mortuorum: non tantum recreat & oblectat iustos, sed sanat etiam & purificat peccatores.

Vnusquisq; accedat huc, & accipiat partem, quæ ipsi est salubrior. Veniant iusti & manducent, & lætentur in hac mensa, sonetque vox confessionis eorum, & laudis in isto calice salutari.

Nusquam esse possum sine hoc mysterio; nusquam sine illo viuere; & vbiq; sum, non possum me ab illius sumptione excusare: omni enim in loco, omni in re istud mihi est necessarium.

Si infirmus sim, hîc me curabo: si sanus, hîc me conseruabo: si viuus, hîc me confortabo: si mortuus, hîc me resuscitabo: si amore diuino ardeam, hîc magis me accendam: si tepidior sim, hîc recalescam. Non timebo, etiamsi Dominus me cœcum esse videat, quoniam ille cœcos illuminat: non metuam, licet me lapsum inuenerit; ipse enim labêtes erigit. Non fugiam à facie eius,

vt quondam fecit Adamus, quantumuis nudus sum; ille enim potest nuditatem meam tegere: non me abscondam, quamuis immundus & plenus peccatis appaream; ille enim est fons misericordiæ: non, licet pauper sim; ille enim Dominus est omnium rerum creatarum.

Non sum anxius, quod illum iniuria afficiam hac mea audacia, sed potius occasionem me daturum arbitrabor; vt dum ceteris omnibus sim miserior, dilucidius in me resplendeat diuinæ misericordiæ magnitudo, in hoc ipso, quod mihi auxiliabitur.

Tenebrę illius, qui à natiuitate cæcus fuerat, gloriæ Domini famulabantur: natus enim cæcus erat, vt manifestarentur opera Dei; & miseria meæ conditionis seruiet illi, quoniam in ea magnitudo bonitatis eius elucescet: si nimirum ille, qui tam sublimis est, tam miseram atque inopem creaturam non dedignatur. Maximè cum hęc nulla ratio mei habeatur, sed tantum meritorum Domini nostri Iesu Christi, propter quæ pater æternus nobis benè vult, & nos in filios suos adoptat, habetque benignè, vt tales

haberi solent.

Oro itaque supplex, & obtestor te nunc, Deus meus, pater Domini nostri Iesu Christi, vt quemadmodum sanctissimus ille rex Dauid Miphiboseth debile pedibus ad mensam suam admisit, quia erat filius magni & chari amici illius Ionathæ, volens hoc modo filium honorare, non propter filium ipsum, sed propter merita patris illius: sic & tibi pater cælestis complacet, hunc pauperem & immundum peccatorem, ad regale tuum conuiuium admittere; non propter se, sed propter merita & honorem magni tui amici Iesu Christi Domini, & patris nostri, qui cum tantis doloribus, & laboribus, pro gloria & honore tuo nos regenerauit, in arbore crucis suæ. Qui tecum viuit & regnat, in secula seculorum. Amen.

ORATIO S. AMBROSII
Episcopi.

Summe Sacerdos, & vere Pontifex Iesu Christe, qui te obtulisti Deo patri hostiam puram, & immaculatam, in ara crucis

pro nobis miseris peccatoribus, qui que dedisti nobis carnem tuam ad manducandum, & sanguinem tuum ad bibendum, & posuisti mysterium illud in virtute spiritus sancti, dicens: *Hæc quotiescunq; feceritis, in mei memoriam facietis.* Rogo te pater per sanguinem tuum pretiosum, magnum salutis nostræ pretium, rogo per hanc mirabilem, & ineffabilem charitatem tuam, qua nos mi seros & indignos sic amare dignatus es, vt lauares nos à peccatis nostris in sanguine tuo: doce me indignum seruum tuum, quē inter cætera dona tua ad officium sacerdotale vocare dignatus es, ex nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ. Doce me, quæso, per spiritum sanctum tuum, tantum tractare mysterium ea reuerentia, & timore, quibus oportet & decet. Fac me per gratiam tuam, semper illud de tanto mysterio credere, & intelligere, dicere, & cogitare, sentire, & firmiter retinere, quod tibi placet, & expedit animæ meæ. Intret spiritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, & sine strepitu verborum loquatur veritatem tantorum mysteriorum.

Profunda sunt quippè nimis, & sacro tecta
 velamine. Propter magnam clementiam
 tuam, Deus, concede mihi missarum solen-
 nia puro corde, & munda mente celebrare.
 Libera cor meum ab immundis, nefandis,
 & noxiis cogitationibus. Muni me, beato-
 rum angelorum pia, & fida tutela, atq; for-
 tissima custodia, vt hostes omnium bono-
 rum confusi discedant. Per virtutem tanti
 mysterij, & per manum sancti angeli tui, re-
 pelle à me, & à cunctis seruis tuis durissi-
 mum spiritum superbiæ, & cenodoxiæ, in-
 uidiæ, & blasphemix, dubietatis & diffiden-
 tiæ. Confundantur, qui me persequuntur:
 pereant illi, qui cuncta perdere festinant.
 Rex virtutum, amator castitatis, & integri-
 tatis, Deus, cælesti rore benedictionis tuæ
 extingue in me, & in corpore meo totum
 fomitem libidinis, vt maneat in me tenor
 totius castitatis animæ & corporis. Morti-
 fica in membris meis carnis stimulos, om-
 nesque libidinosas commotiones, & da mi-
 hi veram & perpetuam castitatem cum cæ-
 teris bonis tuis, quæ tibi placent in veritate;
 vt sacrificium laudis casto corpore, & mun-

do corde quotidie valeã tibi offerre. Quanta enim cordis contritione, & lachrymarum fonte, quanta reuerentia & tremore, quanta corporis castitate, & animæ puritate hoc diuinum & cæleste sacrificiũ est celebrandum? Vbi caro tua in veritate sumitur: vbi sanguis tuus in veritate bibitur: vbi summis ima coniunguntur: vbi adest sanctorũ præsentia angelorum: vbi tu es sacerdos, & sacrificium mirabiliter, & ineffabiliter. Quis dignè hoc celebrare mysterium potest, nisi tu, Deus omnipotens, offerentem feceris dignum? Scio, & verè scio, quòd non sum dignus accedere ad tantum mysterium propter nimia peccata, & infinitas negligentias meas. Sed scio, & veraciter credo, & ex toto corde credo, & ore confiteor, quia tu potes me facere dignum, qui solus potes facere mundum, de immundo conceptum semine, & de peccatoribus iustos facis, & sanctos. Per hanc omnipotentiam tuam te rogo, concede mihi peccatori hoc cæleste sacrificium celebrare cum timore, & tremore, cum cordis puritate, & lachrymarũ fonte, cum lætitia spirituali, & cælesti gaudio.

Sentiat mens mea dulcedinem beatissimæ præsentia tuæ, & excubias sanctorum angelorum tuorum in circuitu meo. Etenim memor venerandæ passionis tuæ, accedo ad altare tuum, licet peccator, ut offeram tibi sacrificium, quod tu instituisti, & offerri præcepisti in commemorationem tuam, pro salute nostra.

Suscipe ergo istud, quæso, summe Deus, dulcissime Iesu Christe, pro Ecclesia tua sancta, & pro cuncto populo tuo, quem acquisisti sanguine tuo pretioso. Et quoniam me peccatorem inter te & eundem populum medium esse voluisti, licet in me boni operis testimonium non agnoscas, officium dispensationis creditæ non recuses, nec per me indignum famulum tuum eorum salutis pereat pretium, pro quibus Victimæ factus salutaris, dignatus es esse redemptio. Profero ergo Domine (si dignaris propitius intueri) tribulationes plebium: pericula populorum: captiuorum gemitum: miseriam orphanorum: necessitates peregrinorum: inopiam debilium: desperationes languentium: defectus senum: suspiria iuuenum: vota virginum: lamenta viduarum.

Tu enim misereris omnium Domine, & nihil odisti horum quæ fecisti. Memorare quæ sit nostra substantia, quia tu pater noster es: ne irascaris nimis, neque multitudinem viscerum tuorum super nos contineas. Non enim in iustificationibus nostris prosternimus preces nostras ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Aufer à nobis, Domine, iniquitates nostras, & ignem sancti spiritus in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de carne nostra, & da nobis cor carneum, quod te timeat, diligat, & honorificet; te delectetur, te sequatur, & te perfruatur. Oramus, Domine, clementiam tuam, vt sereno vultu familiam tuam, sacri tui nominis officia præstolantem, aspicere digneris: & vt nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio; tu nobis preces suggere, quas ipse audire propitius, & exaudire delecteris. Rogamus etiam te, sancte pater, pro spiritibus fidelium defunctorum, vt sit illis salus æterna, ac perpetua sanitas, gaudium & refrigerium sempiternum, hoc magnum pietatis sacramentum. Domine Deus meus, sit illis hodie

magnū & plenum gaudium de te pane viuo
& vero, qui de cælo descendisti, & das vitam
mundo, de carne sancta & benedicta, Agni
videlicet immaculati, qui tollis peccatum
mundi, & potari facis de fonte pietatis tuæ,
qui per lanceam militis de latere emanauit
crucifixi Dñi nostri, vt consolati exultent
in laude & gloria tua sancta. Peto, Dñe, cle-
mentiam tuam, vt descendat super hunc
panem, & calicem plenitudo tuæ diuinita-
tis. Descendat etiam, Domine, illa spiritus
sancti tui inuisibilis, incomprehensibilisque
maiestas, sicut quondam in patrum hostias
descendebat: quæ & oblationes nostras,
corpus, & sanguinem tuum efficiat, & me
indignum sacerdotem tuum doceat tantū
tractare mysterium cum cordis puritate, &
lachrymarum fonte, cum reuerentia, & tre-
more: ita vt placidè, & benignè suscipias sa-
crificium de manibus meis ad salutem om-
nium, tam viuorum, quàm defunctorum.
Rogo te, Domine, per ipsum sacrosanctum,
& viuificum mysterium corporis, & sangui-
nis tui, quo quotidie in Ecclesia tua pasci-
mur, & potamur, atque vnus diuinitatis

participes efficiamur, da mihi virtutes sanctas, quibus repletus, bona conscientia ad altare tuum accedam, ita ut hæc cælestia sacramenta efficiantur mihi salus, & vita. Tu enim dixisti ore tuo sancto, & benedicto: *Panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita. Qui manducat me, viuet propter me: ipse manet in me, & ego in eo: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi: Si quis manducauerit de hoc pane, viuet in æternum.* Panis dulcissime, sana palatum cordis mei, ut sentiam suauitatem amoris tui. Sana illud ab omni languore, ut nullum præter te quærat amorem, nullam præter te amet pulchritudinem. Panis candidissime, habens omne delectamentum, & omnem saporem, qui nos de te semper reficis: comedat te cor meum, & dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ. Manducat te angelus pleno ore in patria, manducet te peregrinus homo pro modulo suo, ne deficere possit in via, tali recreatus viatico. Panis sancte, panis viue, panis pulcher, panis munde, qui descendisti de cælo, & das vitam mundo: veni in cor meum, & munda me ab om-

ni inquinamento carnis & spiritus: intra in animam meam, sana & sanctifica me interius & exterius. Esto tutamentum, & continua salus corporis, & animæ meæ. Repelle à me insidiantes mihi hostes, recedant procul à potentia præsentia tuæ; vt foris, & intus munitus, per te recto tramite ad regnū tuum perueniam, vbi non in mysteriis, sicut in hoc tempore agitur, sed facie ad faciem te videbimus, cū tradideris regnum Deo patri, & Deus erit omnia in omnibus. Tunc enim me de te satiabis satietate mirifica, ita vt neque esuriam, neque sitiam in æternum. Amen.

Caput V.

MEMORIÆ VIVORVM.

SUIIPSIVS.

Memento DOMINE mei miserrimi peccatoris: in gratiam tuam me recipias, ab omni peccato me li-

beres, & præserues, custodias, dirigas, teneas, atque totum me possideas. Conuer-
te me totum in laudem, in honorem, & in
beneplacitum tuum, vt de me, per me, & in
me tua laudabilissima voluntas semper fiat;
vt in omnibus, & singulis ita sim, ita me ha-
beam, quemadmodum maximè placet tuæ
sanctissimæ voluntati. Vtinam vulneres, re-
pleas, absorbeas, vniuscumque me tibi perfectis-
sima, ardentissima, fidelissima, atque per-
petua charitate; vt ex toto corde meo, atque
omnibus animæ medullis te diligam, te si-
tiam, quæram, laudem, & benedicam in
omnibus, & super omnia; te solum cogitem,
te solum desiderem, tibi soli placere cupiã,
tibi soli totus inauertibiliter inhæream; &
omne tempus vitæ meæ, omnesque vires ani-
mæ, & corporis, in laudem, gloriam, & be-
neplacitum tuum expendam. Amen.

P A R E N T V M.

Simili modo, clementissime pater, me-
mento, quæso, parentum meorum car-
nalianum, & spiritualium, qui me cum magna

charitate, cura, labore, & difficultate hucusque educarunt. Quorum curam, & singula, quæ vnquam erga me egerunt, corde, vel corpore ad minimum vsq; pedis passum, per piissimum cor virginæ matris tuæ Mariæ tibi repræsento, & tuis sanctissimis operibus vnio; vt in illis sanctifices, perficias, ac nobilites, atque sic superbenedictæ Trinitati in laudem ipsius æternam, & eorum salutem offeras, & repræsentes. Memento insuper fratrum meorum, & sororum, & liberorum ipsorum. Deniq; omnium consanguineorum, amicorū, & affinium quocumque gradu mihi attinentium. Ex quibus digneris illis, & illis eadem piissimi cordis tui exhibere gratiā vocationis, quam mihi adeo indigno & abiecto homini præstitisti, & custodire ab ea via perditissima, quā ego propria iniquitate elegeram, & ingressus fuerā. Et, si qui sunt alij, quos tibi ad honorem tuū fideles futuros esse posse nosti, eisdem tuæ infinitæ misericordiæ gratiā infundere, atq; ab omni malo illos præseruare digneris.

B E N E F A C T O R V M.

OMnium item, piissime Domine, memēto benefactorum meorum carnalium, & spiritualium, quorum vniquam vsus sum, & adhuc quotidie vtor elemosynis, beneficiis, fauore, subsidio, sustentatione, & gratia; vt digneris illis ex largifluo pietatis tuæ thesauro centuplum retribuere, hīc in gratia, & postmodum in gloria. Commendatorum item omnium, qui se vniquam meis indignis commendauerunt orationibus, vel quibus ego quacumque ex causa debitor, aut aliquid pollicitus sum, notitia, aut familiaritate coniunctus. Confoederatorum, commissorum, subiectorum, & omnium, qui se meo patrocinio, & tutelæ commendauerunt, & horum præcipuè, qui mihi corporali, vel spirituali opere, & beneficio intendunt, vt eis, & omnibus quibus debeo, de superabundanti tuæ gratiæ thesauro centuplum in præsentī vita, & in futura æternā gloriam concedere digneris.

O F F E N S O R V M.

OMnium item memento, quos ego vniquam offendi, aut verbo vel facto le-

si, aut scandalizauit, ad peccatum induxi; vel qui me verbo, vel facto offenderunt, vel ad peccatum induxerunt; vt illos, & omnes tuos fideles tuæ gratiæ, & cælestium bonorum facias esse consortes.

C H R I S T I F I D E L I V M.

OMnium quoque memento, Domine, vocatorum ad fidem christianam, ad dignitates, officia, prælaturas, regimen animarum, ad religiones, & omnis gradus, & ordinis fidelium; quibus, ô Domine Deus clementissime, talem, tantamque gratiam de tuæ sapientiæ thesauro concedere digneris; vt seculi huius vanitatibus posthabitis, veram viuendi normam secundum tuam, & Apostolorum tuorum doctrinam, & præcepta sequantur, vt & demum in eorum vitæ exitu, de tuæ plenitudine misericordiæ æternam vitam, & immarcescibilem gloriam consequi mereantur.

A F F L I C T O R V M.

Memento item, pie Domine, omnium ablatorum à pace pectoris, & qui in

tristitia, aut quacumque sunt afflictione, necessitate, tentatione, sollicitudine, & in peccatis indurati, aut quibus animæ, aut corporis imminet discrimen.

Potest demum adiungi, si quid habeatur singulare.


Horum singulorum & vniuersorum uiuentium, piissime Iesu, necessitates, causas, & salutem commendo: insuper effluentem diuinæ pietatis tuæ abyssum rogo, vt cum eis agere paterna cura digneris, ad supremū diuini cordis tui beneplacitum, gloriam, &c. & summam eorum salutem, sicut tu piissime vis, & sapientissime scis, Amen.

Et omnium circumstantium.

Caput VI.

CIRCA IPSAM ELEVATIONEM
SS. Hostiæ.

A D O R A T I O.



Doro te, Domine Iesu Christe, & benedico tibi, quia pro nobis in cruce moriens redemisti mundum.

O R A T I O.

OMnipotens æterne Deus, ô pater misericordiarum, en hostiam viuam, quam hîc, & vbique vniuersa tibi offert Ecclesia. Hanc offero tibi cum omnibus virtutibus, & meritis vnigeniti tui, in illo amore, & virtute, qua ipse tibi in cruce semetipsum obtulit pro nobis, in expiatione omnium peccatorum meorum, in suppletionem omnium negligentiarum, & defectuum meorum, & in gratiarum actionem, & confessionem omnium beneficiorum tuorum, & in memoriam beneficiorum, & dilectionis eius, pro me, & pro fidelibus tuis omnibus, viuis, & defunctis. Amen.

Iterum inclinando dic mentaliter, veniam petendo.

DEus propitius esto mihi peccatori. Aufer à me quicquid tibi in me displicet, infunde in me quicquid tibi placet: conuer-te me totum in laudem, & gloriam, & beneplacitum tuum, dulcis Iesu, Domine Deus meus. Amen.

Ad elevationem Calicis Oratio.

A Mantissime Iesu, per effusionem sacrosancti sanguinis tui, obsecro te, fac ut uniuerso mundo cum omnibus peccatis, vitiis, & concupiscentiis moriar, & per incendium amoris tui à meipso deficiam, tibi que soli, ac in te solo viuam. Amen.

POST ELEVATIONEM, MEMORIE DEFUNCTORUM.

Memento etiam Domine famulorum, & famularum tuarum N. N. & præsertim istius, vel illius N. vel istorum N. N. pro quo, vel quibus, te suppliciter rogo, ut ab omnibus absoluti delictis, ad vitam & requiem sempiternam peruenire mereantur.

PARENTVM.

Memento etiam Domine parentum meorum, & horum quoque parentum, & omnium maiorum meorum, fratrum in super, & sororum, præsertim illorum, &c. & omnium consanguineorum, & omnium pro-

ximorum, qui necdum satisfecerunt : specialiter congregationis huius, & quorum notitiam, & familiaritatem hinc habui, & omnium deniq; fidelium defunctorum, vt tuæ misericordiæ thesaurum illis aperire, & sanctorum tuorum consortiū donare digneris.

BENEFACTORVM.

Benefactorum etiam meorum memor esse digneris, quibus teneor, qui vniquam mihi bonum aut voluerunt, aut verbo vel facto fecerunt. Benefactorum item ordinis, vel cognationis, vel congregationis meæ, & confœderatorum meorum, & omnium sepultorum in Domino, quibus promisi, aut teneor; vt eis requiem, & æternam vitam concedere digneris.

OFFENSORVM.

Memento etiam, piissime Deus, omnium, quos ego vnquam offendi, aut verbo vel facto læsi, aut scandalizavi, vel ad peccatum induxi; vel qui me verbo, vel fa-

cto offenderunt, aut ad peccatum induxerunt, vt eos, & omnes à suorum peccatorum nexibus absolutos, ad cæli gloriam, & perpetuum gaudium perducere digneris.

O B L A T I O.

Misericordissime Iesu, tuæ maiestati, & pietati nunc supplicem offero & cōmendo me, rogans te per omnia vulnera corporis tui, per pretiosi sanguinis tui guttas singulas, perque immensam pietatem cordis tui, vt in gratiam tuam me recipias, ab omni me peccato libereres, & præserues, custodias, dirigas, teneas, atque totum in me possideas. Conuertas me totum in laudem, in honorem, & beneplacitum tuum, vt de me, per me, in me, & in omnibus tuæ laudabilissima voluntas semper fiat; vt in omnibus, & singulis ita sim, ita me habeam, quemadmodum maximè placeret tuæ sanctissimæ voluntati. Vtinam vulnereres, repleas, absorbeas, vniasque me tibi, Deus meus, perfectissima, ardentissima, fidelissima, atque perpetua charitate; vt ex toto corde

meo, atque ex omnibus medullis animæ
meæ te diligam, te sitiam, quæram, laudem,
& benedicam in omnibus, & super omnia.

Dulcis Iesu, Deus meus, absorbeat me,
quæso, ignita & melliflua vis amoris tui, quæ
penetret cor meum, purgetque & rapiat in
se omnia interiora mea; vt sicut flamma ar-
dens in tui amore totus ardeam, totus à me-
ipso deficiam, te verò solum cogitem, te so-
lum desiderem, te solum sciam & sentiam,
tibi soli inhæream; & omne tempus vitæ
meæ, omnesque vires animæ & corporis mei,
in laudem, gloriam, & beneplacitum tuum
expendam. Amen.

Domine Iesu Christe, in memoriam be-
nedictæ incarnationis, passionis, ac mor-
tis tuæ, in memoriam omnium vulnerum,
dolorum, suspiriorum, gemituum, lachry-
marum, & guttarum sanguinearum sangui-
nis tui, in memoriam immensæ charitatis
tuæ, qua propter me natus, passus, crucifi-
xus, & mortuus es, offero tibi nunc huius
Missæ, & omnium Missarum, quæ in toto
mundo fiunt, hostiam sacrosancti corporis
& sanguinis tui: & in vnione huius oblati-

onis, atq; illius quo temetipsum in ara crucis obtulisti, offero meipsum in laudem, gloriam, & beneplacitum tuum; obsecrans per viscera misericordię tuę, vt hæc omnia suscipias, ac patri tuo offeras in ea virtute, qua illi in cruce moriens spiritum tuum tradidisti; vt viuis tuam gratiam, & defunctis requiem, & omnibus nobis misericordiam vitamque largiaris sempiternam.

Respice nunc, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, de sanctuario tuo, & de excelso cælorum habitaculo, & intuere hanc sacrosanctam hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster, sanctus puer tuus, Dominus noster Iesus Christus, pro peccatis fratrum suorum; & esto placibilis super multitudinem malitię nostrę, quia vox sanguinis fratris nostri Iesu clamat ad te de cruce. Ecce habeo quod offeram tibi pro peccatis meis, per ipsum, & in ipso in beneplacitum sanctissimę atque laudabilissimę voluntatis tuę. Amen.



Caput VII.


ANTE IPSAM SVMPTIONEM
sanctifs. Sacramenti.

ORATIO I.

Domine Iesu Christe, cor meum tuis
vulneribus faucia, ex tuo sanguine in-
ebria mentem meam, vt quocunq; me vertã
semper te videam crucifixum, & quidquid
aspexero, tuo sanguine mihi appareat rubi-
catum; vt sic in te totus tendens, nihil præ-
ter te valeam inuenire, nihil nisi tua vulnera
valeam intueri: hæc sit consolatio mea te-
cum, mi Domine, vulnerari, tecum despici,
& tecum pati: hæc sit mihi afflictio extra te
consolari, aut sub te aliquid meditari. Non
quiescat cor meum, bone Iesu, donec inue-
niat te centrum suum, vbi cubet, vbi suum
terminet appetitum. Amen.

ORATIO II.

Iesu fili Dei, miserere mei. Ecce miser, vi-
lis, turpis, facinorosus, ingratisimusque



peccator ad te venio, non aliud clamans, quàm, misericordissime Iesu, fili Dei viui, & virginis, miserere mei. Miserere mei, quoniam tibi impossibile est, miseris nolle misereri. Plenus & oppressus omni genere peccatorum, hoc solùm habeo, quod clamem: Miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam. Confiteor tibi Domine Deus omnia peccata mea. Videas ipse tu, quàm sim vilis, inquinatus, & immundus; quàm inops, & nudus à virtute; quàm denique turpis, & indignus. Pro omnibus igitur delictis, negligentis, vitiis, & ingratitude me, venio, à te remissionem plenam, veniam & gratiam tuam, supplex & obsecrans peto. Da mihi nunc, in omniq̃ue vita mea, & præcipuè in morte, veram, perfectissimã, intensissimãq̃ue contritionem pro peccatis meis, perfectam emendationem vitæ meæ, iuxta omne beneplacitum tuum, & imitationem vitæ tuæ. Vide, misericordissime Domine mi Iesu, me ingratum, miserrimum, & indignum peccatorem. Vide cui tanta beneficia quotidie facis, cui tantam impendis

charitatem, qui nihil sim sine te, qui-
que egeam, mendicus & pauper. Da mihi
igitur perfectissimam, castissimam, inten-
sissimam, feruentissimam, perpetuamque
charitatem, qua te ex toto corde in omni-
bus & super omnia indefinenter diligam, te
solum, & tui honorem purè quæram & in-
tendam, totum me tibi resignem, & in be-
neplacitum tuum me totum tibi impendā.

Ah, misericordissime Iesu, fac vt contri-
tio hæc sancta, & charitas in me simul quo-
tidie crescant, ac tandem adeò inualescant,
vt præ doloris magnitudine, quòd piissimū
te Deum offendi, & præ amoris vehemen-
tia, ardentissimoque tui desiderio in morte
cor meum crepet, & spiritum in manus tu-
as, imò in amantissimum cor tuum exhalet.
Hoc te, amantissime Iesu, rogo, hoc te per
vulnera, per dolores, per omnes guttas san-
guinis tui pro me fusi, per mortemque tuam
te obsecro, imò per charitatem, & bonita-
tem tuam, per temetipsum, Deus meus, ob-
secrans & supplex te adiuro, qui propter me
factus homo, temetipsum in captiuitatem,
in crucem, in mortemque tradidisti, pro quo

millies, imò infinities te adoro, tibi que gratias ago; vt mihi tribuas, quò ex plenitudine, vehementia, perfectione, quò sincerissimæ contritionis, & feruentissimæ charitatis tradat tibi in manus tuas cor, spiritum meum.

Eia, dulcissime Iesu, da quoque omnibus viuus & defunctis nunc eandem gratiã, virtutem, & fructum passionis & mortis tuæ, quam operatus es omnibus in cruce. Age nunc, piissime Deus, en ad te venio, præpara tu in me tibi ipsi locum, suscipeque te ipsum intra me, quomodo suscipi dignus es; vt posthac mundo ac mihi ipsi totus mortuus, in te solo viuum, tibi soli inhæream, tecum vnum effici tua gratia merear. Amen.

ORATIO III.

Iam tibi deberem occurrere, Deus meus; at præ confusione, præ vilitate, præ pudore sordium meorum, non audeo apparere. Tu venis rex potentissime ac nobilissime ad immundam & infirmam creaturam tuam, quæ peccando se omnium fecit nouissimam, quæ est vilissima, & velut nihil. Deus mise-

ricordissime, ac benignissime, cui nihil maius dicere valeo, quàm Deus vniuersorum, Deus meus, & omnia. Itaque, Deus meus, excita, quæso, animam meam, orna pannosam ac miseram: præpara tu ipse locum & habitationem intra me, qua te delectet recipi, vbi digneris inseparabiliter manere. Da mihi desideria, virtutes, ac dona quæ te delectent, in quibus tibi occurrere, teq; suscipere debeam, Domine Deus meus. Ecce venio, sed pauper & nudus: ecce venio, sed ad misericordissimum, ditissimum, amantissimumque patrem.

Itaque, pater dulcissime, amator fidelissime, en ego ad te venio, qui nõ sum dignus vocari filius tuus. Atq; iccirco proiicio me totum in beneplacitum tuum, in iustitiam, & misericordiam tuam. Fac mihi, age mecum quomodo tibi placet, & quomodo te decet ad gloriam tuam sempiternam. Deus meus prohibe, ne ex me tibi veniat irreuerentia, sed honor & gloria sempiterna.

Recipe tu teipsum intra me, Domine Deus meus. O si merear & ego in tuos amplexus recipi. Sed heu quid ego sordidus de-

siderare præsumo à te Domine rex cælorú ?
 Tuæ est bonitatis, misericordissime Deus,
 qua dignaris venire ad me. Ideò per ean-
 dem bonitatem tuam obsecro te, fac vt di-
 gnè ad gloriam tuam recipiam te, & tu re-
 cipias me. Dulcis Iesu, trahe tu me intra te,
 quia nolo amplius esse extra te. Dulcis ama-
 tor Domine Iesu, qui te vocas sponsum ani-
 mæ meæ, tibi me offero, tibi me totum de-
 do; fac vt ultra non sim meus, nec intra me
 sit aliquid meum, aut mihi proprium; sed
 totus ego tuus sim, & omnia mea tua sint,
 sine vllò respectu inclinatione uèc propria ad
 me ipsum, te solùm sciens ac sentiens. Dul-
 cis Iesu, posside me totum, tu solus perfe-
 ctissime & semper. Amen.

O R A T I O III.

TV Domine vniuersorum, qui nullius
 habes indigentiam, voluisti per sacra-
 mentum tuum habitare in nobis, conserua
 cor meum & corpus meum immaculatum,
 vt læta & pura conscientia, sæpiùs valeam
 tua sacra celebrare mysteria, & meam dignè

fuscipere salutem, quæ ad tuum præcipue
 honorem, ac memoriale perenne instituisti,
 & sumenda & tractanda sanxisti. Præsta, Do
 mine Deus salutaris meus, vt cum frequen
 tatione tui mysterij, crescat etiam meæ de
 uotionis affectus. En tuam precor clemen
 tiam, & specialem ad hoc mihi rogo dona
 ri gratiam. Præueni me, dulcissime, arden
 tissime, fidelissime amator, in benedictio
 nibus dulcedinis tuæ, & fac vt totus in te li
 quefiam, & amore perfluam, atque de nul
 la aliena consolatione me intromittam. A.

O R A T I O V.

AD mensam dulcissimi conuiuij tui, pie
 Domine Iesu Christe, ego peccator de
 propriis meritis nihil præsumens, sed de tua
 confidens misericordia, & bonitate, acce
 dere vereor & contremisco. Nam cor, &
 corpus habeo multis criminibus maculatū,
 mentem & linguam non cautè custoditam.
 Ergo, ô pia deitas, ô tremenda maiestas, ego
 miser inter angustias deprehensus, ad te fon
 tem misericordiæ recurro, ad te festino sa-

nandus, sub tuam protectionem fugio, & quem iudicem sustinere nequeo, saluatorē habere suspiro. Tibi, Domine, plagas meas ostendo, tibi verecundiam meam detego: scio peccata mea multa, & magna, pro quibus timeo, spero misericordias tuas, quarum non est numerus. Respice ergo in me oculis misericordiæ tuæ, Domine Iesu Christe, rex æternæ, Deus & homo, crucifixus propter hominem. Exaudi me sperantem in te: miserere mei pleni miseriis, & peccatis, tu qui fontem miserationis nunquā manare cessabis. Salve salutaris victima, pro me, & omni humano genere in patibulo crucis oblata: Salve nobilis, & pretiose sanguis de vulneribus crucifixi, Domini mei Iesu Christi profluens, & peccata totius mundi abluens. Recordare, Domine, creaturæ tuæ, quam tuo sanguine redemisti: poenitet me peccasse, cupio emendare quod feci. Aufer ergo à me, clementissime pater, omnes iniquitates, & peccata mea, vt purificatus mente & corpore, dignè degustare merear sancta sanctorū; & cōcede, vt sancta prælibatio corporis & sanguinis tui, quam

ego indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio, sit turpium cogitationum effugatio, bonorumque sensuum regeneratio, operumque tibi placentium salubris efficacia, animæ quoque & corporis contra inimicorum meorum insidias firmissima tuitio. Amen.

ORATIO VI.

OMnipotens, sempiternæ Deus, ecce accedo ad sacramentum vnigeniti filij tui, Domini nostri Iesu Christi. Accedo tanquam infirmus, ad medicum vitæ: imundus, ad fontem misericordiæ: cæcus, ad lumen claritatis æternæ: pauper & egenus, ad Dominum cæli, & terræ. Rogo ergo immensæ largitatis tuæ abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem: lauare fœditatem: illuminare cœcitatatem: ditare paupertatem: vestire nuditatem; vt panem angelorum, regem regum, Dominum dominantium, tanta suscipiam reuerentia, & humilitate, tanta contritione,

& deuotione, tanta puritate, & fide, tali proposito, & intentione, sicut expedit saluti animæ meæ. Da mihi, quæso, Dominici corporis, & sanguinis, non solum suscipere sacramentum, sed etiam rem, & virtutem sacramenti. O mitissime Deus, da mihi corpus vnigeniti filij tui, Domini nostri Iesu Christi, quod traxit de virgine Maria, sic suscipere; vt corpori suo mystico merear incorporari, & inter eius membra connumerari. O amantissime pater, concede mihi dilectum filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, reuelata tandem facie perpetuò contemplari. Qui tecum viuit & regnat, &c.

In ipsa communionem hæc meditare.

Bone Iesu, dulcissime, & amantissime Iesu, ô amor meus, dulcedo cordis mei, vita animæ meæ, ô æternum bonum meum, melliflue Iesu, miserere mei, coniunge me tibi intimè, ad gloriam nominis tui.

Vnde hoc mihi, vt veniat Dominus meus ad me? Quid, ô Iesu dulcissime, sic te mi-

hi communicas? Nunquid vis iterum in infernum descendere? Vis te tradere iterum in manus peccatorum? Vis nasci in brutorum stabulo, & in præsepio, in stramine cor tium intelligens collocare?

Domine Iesu, fiat nunc mihi quod contigit deuotæ ancillæ tuæ, dicenti: Si tetigero tantum fimbriam vestimenti eius, salua ero. Fac igitur per hunc contactum tui benedicti corporis, omnem cōcupiscentiam vitiosam ac inordinatam in me exsiccari, & fide, spe, & charitate integerrima inuertibiliter cor meum tibi coniungi. Amen.

Caput VIII.

POST SACRIFICIUM ALTARIS
aut communionem.

Anima Christi, sanctifica me: Corpus Christi, salua me: Sanguis Christi, inebria me: aqua lateris Christi, laua me: passio Christi, conforta me: mors Christi, viuifica me: spiritus Christi, accende me. O

bone Iesu, exaudi me: in vulneribus tuis, absconde me: ab hoste maligno, defende me: in hora mortis meæ, voca me, & iube me venire ad te; vt cum sanctis tuis laudem te, in secula seculorum. Amen.

POSTEA IMITARE SAMSONEM,
& dic.

Refecisti me, Christe Iesu, melle dulcedinis tuæ, quo confortes me, quæso, ambulanti in via mandatorum tuorum, ne in seruitio tuo, aut feruore indiscreto viribus deficiam, aut torpori acediaq; succumbam. Sed propitius tu miserere, quæso, mei, Deus meus, & salua me. Huius autem beneficij tui, quæso, tam viui, quàm defuncti, cuncti participent fructum, omnibus huius fani profit virtus, pro quibus tu olim temetipsum patri obtulisti in cruce. Miserere igitur omnium, Deus meus, & salua nos.

Hoc præterea donum tuum, omniaque dona tua mihi indigno ac misero collata, in vulnera tua abscondo, tibi seruanda augendaque eadem committo, quò tua gratia me protegente, ex nullo eorum superbiam, sed

humilior & gratior tibi semper inde effici-
ar. Tu verò miserere, quæso, mei, Deus me-
us, & salua me. Amen.

IMITANDO ELISAEVM, ELIAE CON-
tinuò adhaerentem, dic.

Domine Iesu Christe mitissime ac be-
nignissime, quid retribuam tibi pro
his, quæ mihi tribuisti? Te ipsum dedisti
mihi. Nihil te pretiosius accipere potui, ni-
hil vtilius, nihil sanctius. Me ipsum reddo
tibi: aliud enim nihil habeo. Tu verò ma-
ne mecum, piissime Iesu, & tunc præcipuè,
quando deuotio in me vesperascit, & fac vt
maneam ego quoq; tecum. Quocirca mi-
serere, quæso, mei, Deus meus, & salua me.

Spiritus quoque tuus duplex, quo Elisæ-
um dotaſti, impleat me, quæso Domine, vt
huius virtute sacramenti illuminato intel-
lectu, affectuque purgato, atque inflamma-
to, totus tibi perfectissimè placeam, ex to-
to corde meo, te in omnibus & super om-
nia diligam.

Quia verò tua dignatus es misericordia,

piissime Deus, vt ingredereris vile tabernaculum meum, para tu ipse tibi vero Elisæo mensam, sedem ad lectulum in corde meo, hoc est, deuotionem, puritatem, ac pacem, quò te delectet manere mecum: nec posthac offendam te, vt à me recedas, sed te neam, possideamq; te in æternum. Misere igitur, quæso, mei, Deus meus, & salua me. Amen.

IMITANDO ELIAM FELICITER
hinc emigrando, dic.

Obscuro autem nunc te per charitatē tuam, piissime Deus, Domine Iesu Christe, vt sumpto hoc viatico tuo, sis tu mihi cibus, qui me confortet, nutriat, protegat: sis currus, quo de exilio huius miseriæ alacer migrem, atque feliciter perducatur ad te in gaudia cælestis patriæ. Quod vt quantocyus obtineam, miserere, quæso, mei, Deus meus, & salua me.

Sit mihi, quæso, Eucharistiæ, hoc est, bonæ gratiæ, hoc quod sumpsi sacramentum, pie Iesu, panis cælestis: sit mihi manna, refectio, ac cibus, in cuius fortitudine ambu-

lem vsq; ad montem Dei. A quo ne ab hac vita, quæso, me patiaris emigrare ieiunum; sed huius sacramenti susceptio, & modò, & tunc sit mihi plena reconciliatio, plena peccatorum purgatio, & ad æternam vitam introductio. Quapropter miserere, quæso, mei, Deus meus, & salua me.

Postremò, quomodo tu in curru igneo Eliam transtulisti; ita huius sacramenti perceptione absorbeat me, quæso, ignita & melliflua vis amoris tui, qui mundo me totum faciat mori, à phantasmatis & creaturarum imaginibus denudari, à priuato amore liberum fieri, & in te rapi, in te absorberi, tecumque vnum perpetuò fieri. Miserere igitur, clementissime Iesu, quæso, mei, & salua me. Amen.

Vt viuificet.

Vtinam, Domine Iesu, hæc tui sacramenti susceptio, me resuscitet à morte peccati, sitque mihi vita perennis, & salus perpetua.

Hac sacrosanctæ Eucharistiæ virtute adiutus, piissime Iesu, moriar quotidie mundo, & peccato, viam verò tibi. Amen.

Ut purget.

Misericordissime Iesu, hæc sacramenti tui sumptio, sit mihi plena peccatorum meorum satisfactio, sit quoque, pie Iesu, animæ meæ hîc plena purgatio.

Quid habeo, dulcissime Iesu, dignius, quid pretiosius, quid acceptius, quod pro peccatis meis expiandis tibi offeram, quàm te ipsum? Te ipsum igitur patri, & tibi ipsi quoq; offero, quem in remissionem, & purgationem omnium peccatorum meorum suscepi. Amen.

Vt minuat vitia.

Huius Eucharistiæ, piissime Deus, sumptio sit, quæso, omnium vitiorum in me extinctio. Virtus, quæso, huius sacramenti omnia interiora mea penetret, & quidquid in me prauum, quidquid est vitiosum, mortificet, & eradicet.

Vtinam Eucharistia hæc sancta liberet me à peccato mortis huius, & à lege peccati. A.

Vt roboret.

Sacramentum hoc corporis & sanguinis tui, Christe Iesu, sit mihi ad ardua quæcunque robur, & fortitudo.

O panis cælestis, qui es compactus in vtero virginis, coctus igne charitatis in ligno crucis; præbe vires animæ meæ, præbe feruorem, vt in seruitio tuo, neque tepeſcam, neque in discretione deficiam.

Ut augeat.

Post huius, Domine Iesu, sacramenti susceptionem, augeantur, quæso, in me tua dona, & virtutes perficiantur.

Vtinam sacramenta hæc tua cælestia gratiam mihi tuam accumulent, virtutes infundant, charitatem augeant, & dona tua cuncta in me perficiant.

Ut restauret.

Vtinam, piissime Iesu, feruorem tuæ charitatis, cunctaque bona dona, ac tua, in me cibus hinc sacramentalis restauret. Neque enim aliud ex me est, aliudque nescio, quam gratiam, & dona tua destruere & impedire.

Huius viuifici cibi, Christe Iesu, sumptio

reparet in me omnia, quæ per meam negligentiam, ingratitude, & desidiã perierunt. Amen.

Vt illustret.

Virtus, quæso, corporis & sanguinis tui, Domine Iesu Christe, intellectum, sensus, omnesque vires animæ meæ illustret, vt cognoscã coram te quid acceptissimum sit omni tempore. Illumina, quæso, tenebras meas, radiis visitationis tuæ, & cognitionem peccatorum meorum, totiusque notitiã vitæ meæ, cum detestatione & odio sancto mihi infunde.

Gratiæ tuę splendor, pie Iesu, luceat semper in me, quo cognoscã, diligam, sentiamque te, Domine Deus meus, semper in toto corde meo, cum timore casto, & reuerentia. Amen.

Vt conseruet.

Quoniam corpore & sanguine tuo, Deus piissime, me refecisti, non finas ex me hanc posthac tibi fieri contumeliã, vt ad vomitum redeam, aut vt denuo te offendam.

Quiduis mecum agas, piissime Iesu; saltem à peccato, ab offensioneq; tui me præserues, & in tua gratia iugiter conserues. A.

Vt hostes terreat.

Christe Iesu, passionis tuæ virtus, huiusque sacramenti sumptio, sit mihi contra omnes insidias inimicorum munimen & protectio.

In te, Iesu piissime, in virtute tua fac me superare omnem tentationē. Custodi me, Domine, vt pupillam oculi, sub vmbra alarum tuarum; id est, sub brachiis tuis in cruce expansis, protege me. Si me tentari vis, tribue mihi, benignissime Iesu, virtutem ex te, ne vincar & succumbam. Sacramentum hoc tuum muniat me, quæso, & ab inimici fraude defendat. Amen.

Vt inarrhet.

Quid dignius, aut pretiosius te ipso mihi dare potuisses, amantissime Iesu? Sit igitur, quæso, mihi hoc donum pignus, ne vnquam posthac obdormiam in mortem peccati, ne vnquam à te separari possim.

Vtinam in arrham mihi dederis hoc sacramentum sincerissimi perpetuque amoris, quo tibi nexu coniungar indissolubili, & vt amoris hoc vinculum nunquam possit dissolui. Sit hæc sumptio sacramenti arrha, qua me dono hoc nobilissimo subarrhas, piissime Deus, sincerissimæ dilectionis: que vt in te constans est, & perpetua; ita in me castissima quoq; sit, & perseueret feruens & sempiterna.

Vt delectet.

In te sit, Iesu suauissime, omnis delectatio mea. Te solum concupiscam, te solum sitiam, te solum sentiam. Nihil, quæso, post hac me afficiat, nisi tu: nihil me delectet, nisi tu. Tædeat me gaudij, quod est sine te: delectet me omnis labor, qui est pro te; & amara sit mihi omnis quies, quæ non est in te. Amen.

Vt dilectione impleat.

Ah, Domine suauissime, tui dilectione, deuotionis pinguedine imple tu, quæso, mentem meam, & vnctione spiritus sancti

cor meum durum perunge, vt ablata omni duritia atq; desidia, curram post te in odore vnguentorum tuorum. Vtinam castissima, affectuosissima, iugique deuotione tu, dulcissime Iesu, impleas animam meam, qua ad patianda amara, ad agenda ardua, ad mortificanda desideria, ad omnem abnegationem cuiuscunque proprietatis, facias me feruidum, deuotum, castum, obedientem, atque resignatissimum.

Dulcis Iesu, ad hoc sacramentum tuum te largiente, quæso, in me indies crescat deuotio, crescat amor, crescat desiderium, crescat reuerentia, intollerabilisq; in me fiat huius esuries & sitis. Amen.

Ut inflammet.

Emitte, quæso, misericordissime Iesu, ex te amoris tui radios, qui me succendant, igneq; inextinguibili charitatis tuæ me totum, hoc est, id quod ex me sum, comburant ac confument; vt nihil in me remaneat, nisi quod gratia tua in me operata est, & charitas.

Accende me igne tui amoris, dulcis Ie-

fu, vt velut æs candens totus flammescam
 charitate, totus tui amore langueam, totus,
 quo ad me ipsum, & ad veterem hominem,
 deficiam. Amen.

Ut uniat.

Vtinam me rapiat, ô pulchritudo casta,
 ô delectatio sancta, vtinam me rapiat in te
 ignita vis amoris tui, quæ me in te transfor-
 met, in te absorbeat, & tibi uniat.

Absorbeat me, quæso, piissime Deus, mel-
 liflua vis amoris tui, quæ me totum penetret,
 atque me tecum vnum efficiat. Amen.

Ut consoletur.

Dulcissime Iesu, huic mundo, & vniuerso
 gaudio alieno, fac tu vt verè velim, pos-
 sim, ac perficiam, valedicere & abrenunciare,
 vt in te solo queam, te miserante, gaudere.

Piissime Deus, esto tu vnica consolatio
 mea, gaudium meum vnicum, securitas, &
 pax in qua requiescam. Amen.

Ut tutet.

Iesu misericordissime, non habeo quo

peccata mea redimā, nec quo pœnas quas debeo propter delicta mea exoluā; sed charitatem tuam, meritaq; passionis tuæ, quæ in hoc sacramento nobis tribuis, quæso, pro me suscipe, & me ab omni culpa, & pœna liberum & innoxium redde.

Quid aliud tibi offeram, pie Iesu, nisi te-metipsum? En te, qui plena es propitiatio pro peccatis nostris, & satisfactio, pro me tibi trado. Amen.

Ut virtutibus cunctis impleat.

Quomodo hac me gratia dignatus es, Domine Deus meus, ut corporis & sanguinis tui sacramento cibares; ita me quoq; huius sacramenti operationibus atque virtutibus cunctis impleas, quæso. Per omnia igitur vulnera tua, & per dolores tuos, te obsecro, Iesu piissime, ut huius sacramenti perceptio animæ meæ vitam tribuat gratiæ, quæ vitales, ac diuinos motus exerceat: purificet me à vitiis, & à peccatis: fomitem, atq; peccandi libidinem minuat: robur, atq; animi fortitudinem adiiciat: gratiam tuam mihi augeat, & virtutes: destructa, (destructor e-

nim tuæ sum gratiæ, & dilapidator) & per-
 dita restauret: tenebras cordis mei illumi-
 net: à peccatis præferuet: à tentationibus,
 & Diaboli machinationibus defendat: ad-
 optionis tuæ seipsum mihi arrham consti-
 tuat: dulcedine gratiæ tuæ impleat, & con-
 soletur: deuotione impinguet: charitate
 tua inflammet: me tibi vniat: spiritu exhi-
 laret; & à pœnis futuris omnibus post hanc
 vitam, tutum, securumque, ac liberum, te
 miserante, me reddat. Amen.

*Potes etiam hęc precari pro triplici illumina-
 tione, ex virtute huius sacramenti, tibi
 largienda, dicendo.*

DEus æterne, amator & misericors, il-
 lumina cor meum ad cognoscendam
 prauitatem, vilitatē, & ingratitude[m] pro-
 priam, cum sancto odio & displicentia. Co-
 gnoscam, piissime Iesu, quàm nihil sum, &
 possum, & despiciam meipsum. Cupiam ex
 animo ab omnibus despici, optem humili-
 ari, gaudeamque iniurias, ac contumelias
 pati.

— Eia, benignissime Iesu, infunde mihi ve-

ram cognitionem mei ipsius, contritionem, & perfectissimam humilitatem. Iterum obsecro te, per viscera misericordiae tuae, Domine Deus meus, illumina cor meum ad cognoscendam, & diligendam bonitatem, pietatem, charitatem tuam erga nos. Vulnera, quaeso, cor meum tui amore castissimo, fidelissimo, atque feruentissimo. Reple cor meum, dulcis Iesu, perfectissima, ardentissima, inextinguibili que charitate tua; ut ex toto corde meo semper te sitiam, semper te diligam in omnibus, & super omnia. Clementissime Iesu, Deus meus, & omnia, rogo te, illumina cor meum ad cognoscendum, amandum, perficiendumque; omne beneplacitum tuum. Da mihi mei ipsius perfectissimam abnegationem, atque resignationem, ut me ipsum omnimodis relinquam, exeam, mortificem, & resignem in omne beneplacitum tuum. Da mihi, ut me totum tuae providentiae credam, de manu tua omnia cum gratiarum actione accipiam, & in omnibus te laudem, & benedicam. Fac, piissime Deus, ut omnem vitam meam, omne tempus, omnes actus, & vires corporis, & animae

meæ, totumque id quod sum, & possum, in laudem, in amorem, & in beneplacitum tuum expendam. Amen.

O R A T I O S. T H O M A E.

GRatias tibi ago, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, qui me peccatorem indignum famulum tuum nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ, satiare dignatus es pretioso corpore, & sanguine filij tui, Domini nostri Iesu Christi. Te precor, vt hæc sancta communio non sit mihi reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam: sit mihi armatura fidei, & scutum bonæ voluntatis: sit vitiorum meorum euacuatio: concupiscentiæ, & libidinis exterminatio: charitatis & patientiæ, humilitatis, & obedientiæ augmentatio: contra insidias inimicorum omnium, tam visibilibium, quàm inuisibilibium, firma defensio: motuum meorum tam carnalium, quàm spiritualium, perfecta quietatio: in te vno ac vero Deo firma adhæsiō: atque finis mei felix consummatio. Pre-

cor te, vt ad illud ineffabile conuiuium me peccatorem perducere digneris, vbi tu cum filio tuo, & spiritu sancto, sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, iucunditas consummata, & felicitas perfecta. Per Christum Dñm nostrum. Amen.

ALIA ORATIO S. BONAVENTURAE.

TRansfige, dulcissime Domine Iesu, medullas, & viscera animæ meæ, suauissimo, ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera, serenaq; & Apostolica sanctissima charitate, vt langueat, & liquefiat anima mea, solo semper amore, & desiderio tui, te concupiscat, & deficiat in atria tua, cupiat dissolui, & esse tecum. Da, vt anima mea te esuriat panem angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem, & saporem, & omne delectamentum suauitatis: te, in quem desiderant angeli prospicere, semper esuriat, & comedat cor meum, & dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ, te sem-

per sitiat fontem vitæ, fontem sapientiæ, & scientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, vbertatem domus Dei: te semper ambiat, te quærat, te inueniat, ad te tendat, ad te perueniat, te meditetur, te loquatur, & omnia operetur in laudem, & gloriam nominis tui, cum humilitate, & discretione, cum dilectione, & delectatione, cum facilitate, & affectu, cum perseuerantia vsq; in finem. Et tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, diuitiæ meæ, delectatio mea, iucunditas mea, gaudium meum, quies, & tranquillitas mea, pax mea, & suauitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, & possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa, & firma, & immobiliter semper sit radicata mens mea, & cor meum. Amen.

Rithmus S. Thomæ ad sacram Eucharistiam.

A Doro te deuotè latens Deitas,
 Quæ sub his figuris verè latitas.
 Tibi se cor meum totum subiicit,

Quia te contemplans totum deficit.
Visus, gustus, tactus in te fallitur,
Sed auditu solo tutè creditur.
Credo quicquid dixit Dei filius,
Nihil veritatis hoc verbo verius.
In cruce latebat sola Deitas,
Sed hîc latet simul & humanitas.
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto quod petiuit latro pœnitens.
Plagas sicut Thômas non intueor,
Deum tamen meum te confiteor.
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini,
Panis verus, vitam præstans hominî.
Præsta meæ menti de te viuere,
Et te illi semper dulce sapere.
Pie Pellicane, Iesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine
Cuius vna stilla saluum facere
Totum mundum posset omni scelere.
Iesu, quem velatum nunc aspicio,
Quando fiet illud, quod tam sitio,
Vt te reuelata cernens facie,
Visu sim beatus tuæ gloriæ ? Amen.

ALIA ORATIO POST MISSAM.

Ineffabilem misericordiam tuam implo-
 ro, Domine Iesu Christe, vt hoc sacramē-
 tum corporis, & sanguinis, quod ego indi-
 gnus peccator sumpsi, sit mihi purgatio sce-
 lerum: sit fortitudo fragilium: sit contra
 mundi pericula firmamentum: sit impetra-
 tio veniæ: sit stabilimentum gratiæ: sit me-
 dicamentum vitæ: sit mihi memoria passi-
 onis tuæ: sit diminutio fomitis: sit viaticū
 meæ peregrinationis. Euntem me perdu-
 cat: errantem me reducat: reuertentem me
 suscipiat: titubantem teneat: cadentem eri-
 gat: perseverantem in gloriam introducat:
 tuaque præsentia sic immutet palatum cor-
 dis mei, vt nullam præter te sentiat dulce-
 dinem: nullam amet pulchritudinem: nul-
 lam admittat delectationem: nullum quæ-
 ret amorem: nullum teneat amorem; sed
 te præ omnibus amet, te sequatur, tibi per-
 enniter adhæreat, & à te nullatenus separe-
 tur. Qui cum patre, &c.

ORATIO AD B. VIRGINEM
 post Missam.

Serenissima, & inclyta mater Domini nostri Iesu Christi, virgo perpetua, quæ eundem creatorem omnium creaturarum, in tuo sanctissimo utero meruisti portare, cuius idem veracissimum corpus, & sanguinem, ego indignus sumere præsumpsi. Tuam deprecor misericordiam, ut ad ipsum pro me misero peccatore intercedere digneris; ut quicquid in eius ineffabili sacrificio ignoranter, vel negligenter commisi, tuis sanctissimis precibus mihi sua pietate ineffabili, atque misericordia inenarrabili, dignetur indulgere. Qui cum Deo patre, & spiritu sancto uiuit & regnat per infinita secula seculorum. Amen.

ORATIO POST MISSAM.

Ela nunc gratias tibi ago, piissime Deus, quòd me ad sumendum corpus, & sanguinem tuum pretiosum vocasti. Gratias tibi ago, dulcissime Iesu, quòd me tuo corpore, & sanguine refecisti. Gratias tibi ago, clementissime Deus, pro deuotione, qua me in hac perceptione specialiter respe

xisti. Gratias tibi ago, benignissime Deus, quòd me protegendo à periculis custodisti. Mi Domine Deus, ecce pro tam gratissima vocatione: pro tam dulcissima refecti-
one: pro tam piissima respecti-
one: pro tam clementissima protectione, & custodia: & pro omnibus beneficiis tuis, tibi, optime Deus, gratias ago, te benedico, te glorifico in æternum. Amen.

O R A T I O.

Pater cælestis, clementissime Domine, pater misericordiarum, suscipe hodie per manus serui tui hoc sacrosanctum sacrificium, verum corpus, & sanguinem, vnigeniti filij tui, Domini nostri Iesu Christi, in satisfactionem & remissionem omnium peccatorum meorum: in salutem & fortitudinem animæ meæ, & totius domus meæ, & omnium illorum, quibus aliqua obligatione teneor: & omnium Dominorum, Prælatorum, Prædicatorum, Sacerdotum, & Religiosorum Catholicæ fidei, vt eis gratiã S. Spiritus impartire digneris, ad salutem

animarum suarū , & regimen totius populi christiani , & omnium peccatorum huius mundi : vt eos conuertas & ducas ad viam salutis ; in consolationem omnium tribulatorum : vt eis adiutorium , & veram pœnitentiam tribuas ; in refrigerium & liberationem omnium animarū in Purgatorio existentium , & maximè illarum , quæ auxilium à me iurè expectant. Et ad illuminationem & conuersationem omnium gentium infidelium , & hereticorum , & schismaticorum ; vt cognoscant & ament te summam veritatem , patrem omnipotentem , qui cum filio , & spiritu sancto es laudabilis Deus & benedictus in secula seculorum. Amen.

C O N C L U S I O .

NVnc dimittis seruum tuum Domine , secundum verbum tuum in pace.

Quia viderunt oculi mei salutare tuum.

Quod paraſti ante faciem omnium populorum.

Lumen ad reuelationem gentium , & gloriam plebis tuæ Iſraël. Gloria patri , & filio , & ſpiritu ſancto , &c.

Caput IX.

POST SACRIFICIUM MISSÆ,
Gratiarum actio, quæ dicitur,
Recessus Altaris.

ANTYPHONA.

Trium puerorum cantemus hymnum,
quem cantabant in camino ignis, benedi-
centes Dominum.

Et duplicatur in duplicibus.

CANTICVM TRIVM PVERORVM.

Benedicite omnia opera Domini Do-
mino: laudate & superexaltate eum in
secula.

Benedicite angeli Domini Domino: be-
nedicite cæli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ super cæ-
los sunt, Domino: benedicite omnes virtu-
tes Domini Domino.

Benedicite sol & luna Domino: benedi-
cite stellæ cæli Domino.

Benedicite imber & ros Domino: be-

nedicite omnes spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis, & æstus Domino: benedicite frigus & æstas Domino.

Benedicite rores, & pruina Domino: benedicite gelu & frigus Domino.

Benedicite glacies, & niues Domino: benedicite noctes & dies Domino.

Benedicite lux & tenebræ Domino: benedicite fulgura & nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: laudet & superexaltet eum in secula.

Benedicite montes, & colles Domino: benedicite vniuersa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: benedicite maria & flumina Domino.

Benedicite cete, & omnia quæ mouentur in aquis Domino: benedicite omnes volucres cæli Domino.

Benedicite omnes bestia, & pecora Domino: benedicite filij hominum Domino.

Benedicat Israël Dominum: laudet & superexaltet eum in secula.

Benedicite sacerdotes Domini Domino: benedicite serui Domini Domino.

Benedicite spiritus, & animæ iustorum
Domino : benedicite sancti, & humiles cor
de Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misaël Domi-
no : laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicamus patrem, & filium cum san-
cto spiritu : laudemus, & superexaltemus
eum in secula.

Benedictus es Domine in firmamento
cæli : & laudabilis, & gloriosus, & superex-
altatus in secula.

ALIÆ GRATIARVM ACTIONES

*ex Pharetra, pro beneficiis Dei
generaliter.*

OMnipotens, sempiternæ Deus, vita
mea, omne bonum meum, & vniuer-
sa felicitas mea, tu es. Ego autē terræ pul-
uis, & miser vermiculus terræ, ante faciem
tuam sto, te laudare, tibiq; gratias agere ge-
stiens. At quia hoc dignè non possum, nec
quod tibi offeram habeo, offero tibi omni-
um sanctorum angelorum hominumq; vir-
tutes ac merita : imò & Christi Iesu filii tui

laudem, & amorē, quibus te colit, & amat
 pro omnibus misericordiis, donis, & bene-
 ficiis, mihi ingratisimo, à te Domine Deus
 meus, vnquam collatis. Tibi enim confite-
 or, amantissime pater, tibi gratias ago, teq;
 adoro, & laudo, quia tu me ex immensa cha-
 ritate, & gratuita bonitate tua creasti ad i-
 maginem & similitudinem tui. Tu varias
 propter me creaturas in vsum & ministeri-
 um creasti: tu me ab exordio vitæ meæ, vs-
 que ad hanc horam in corpore, & anima pa-
 uisti, & fouisti: tu me ab innumeris pericu-
 lis animæ, & corporis, atque malis, aut præ-
 seruasti, aut eripuisti: tu in peccatis grauif-
 simis me putidum, aberrantem, tibi contu-
 meliosum, & mundo scandalosum, tot an-
 nis longanimiter tolerasti: nec, quod milli-
 es, atque millies commerueram, in sceleri-
 bus meis me damnasti (heu quot interea,
 qui minus te offenderunt, quàm ego, ad in-
 ferna descenderunt) sed ad salutis viam, li-
 cèt surdum, variis instinctibus, atque modis
 admonuisti, & reducere fugientem, ac re-
 nitentem voluisti, donec tandem potenti
 virtute malitiam meam, tua benignitate su-

perans, & cuncta circa me ordinans, ad huc salutiferum viuendi statum me conuertisti: non desinens præterea hucusque benefacere mihi, qui tibi in omnibus ingratus, inutilis, atque infidelis sum.

Hic possent cogitari singularia beneficia tibi collata, & pro illis gratiæ agi.

Cæterum, vt tecum in perpetua gaudeam felicitate, nullaque peccata, quàmlibet grandia, me queant à te separare, filium tuum præmisisti in mundum, quem etiam in dolores, pœnas, ignominias, ad crucem & mortem propter me exposuisti.

Eia, benignissime Iesu, Dei vnigenite, ad te nunc me conuerto, agne mansuetissime, & mitissime Iesu: quid retribuam tibi pro omnibus, quæ retribuisti mihi? Adoro, laudo, benedicoq; te pro incarnatione, passione, & amarissima morte tua, pro laboribus, & fatigationibus tuis, pro incommodis, atque ærumnis, & pro quibuslibet aduersitatibus, atque tristitiis, pro pœnis, & doloribus, pro vulneribus, ac liuoribus, pro lachrymis, atque gemitibus, pro contumeliis, opprobriis, atque sanguineis guttis pro

me effusis; & potissimè pro maxima ad nos
charitate tua, quam vel in hoc maximè no-
bis ostendisti, quòd te ipsum etiam in cibum
nobis sumendum dedisti, & vsque in finem
seculi hoc modo in sacramèto te nobiscum
mansurum promisisti; ad cuius participati-
onem sæpiùs, & etiam nunc dignatus es me
admittere. Pro quibus omnibus, cùm ali-
ud non habeam, benignissime Iesu, offero
tibi te ipsum, id est, merita, virtutes, gra-
titudinem, passionem, & mortem tuam, si-
mulque omnium sanctorum tuorum, in v-
nionem charitatis illius, quæ de cælis te tra-
xit in aduersa multa, & vsq; in mortem cru-
cis, & qua patri tuo ibi te obtulisti pro no-
bis. Desidero autem, ô amabilissime Iesu,
(si possibilè foret) etiam solus tam dignè te
laudare, tam diligere, tamque fideliter ser-
uire, & placere tibi ad gloriam tuam, quan-
tum omnes, & singuli, tam angeli, quam
homines te laudant, & diligunt. Et pro-
pterea, etiam in horum omniù vnione lau-
dis, ac amoris offero, & resigno tibi meip-
sum, per suauissimum cor tuum, in omne be-
neplacitum tuum, ad gloriam tuam, quo

mecum, meque ita facias, vt ablata omni rebellionem in me erga te, sola tua sanctissima, atq; laudabilissima voluntas semper in me, de me, per me, & in omnibus fiat. Amen.

Pro omni statu sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ.

GRatias ago tibi, Iesu piissime, Domine Deus meus, pro immensa charitate, & pro omnibus beneficiis tuis, quæ tu vniuerso mundo, singulisque & angelis, & hominibus exhibuisti, à nobilissima omniumque dignissima creatura matre tua, vsq; ad infimam, ac omnium ingratisimam; hoc est, vsque ad me vilem, vanum, & terræ vermiculum: neque enim sum dignus, vt in conspectu tuo appaream, propter nimiam indignitatem, vilitatem, & ingratitude meam.

Eia, benignissime Iesu, sis tu benedictus in æternum, qui hanc singularissimam virginem, ab æterno tibi in matrem elegisti, ab omni peccato immaculatam, ac totam pulchram præseruasti, præsignasti, præpara-

sti, omnium virtutum, & gratiarum plenitudine exornasti, in ea concipi, ex ea nasci, & eius lacte pasci voluisti, prædicationi, passioni, ac morti tuæ ipsam adesse, & nostræ redemptioni coöperari tribuisti; atq; hanc in cælis corpore, & anima assumptam, gloriosissiméque coronatam, eandem nobis in aduocatam, misericordiæ reginam, atque matrem dedisti.

Pro his sit tibi laus, honor, & gloria sempiterna. Dulcissime Iesu, eius cor, & merita pro me, & vniuersa Ecclesia tibi nunc offero, & per eandem nos in cor tuum piissimum commendo. Amen.

Caput X.

SUSPIRIA MENTIS ET ASPIRATIONES ad Deum, & ignita quædam amoris iacula, pro charitate impetranda.

Quisquis charitatem Dei, sine qua nulli vnquam speranda est salus, citiùs

obtinere desiderat, illi imprimis necessarium est, vt ignitis & quasi continuis quibusdam assuescat aspirationibus, deuotisque mentalibus orationibus, quibus mentem suam ad Deum eleuet, & cuncta visibilia & caduca transcendere discat. Præterea, vt quotidie ad minus vnâ horam capiat, in qua se & actus suos, omniaque sua interiora, motus, inclinationes, & intentionem, solerti cura discutiat, diligenter attendendo in quem finem omnia sua peragat opera; an videlicet se magis, quam Domini Dei sui honorem & gloriam quærat.

Si super omnia Deum suum magnificare & honorare desiderat, ipsiusque laudem vbiq; promouere conatur, benè se res habet. Sin minus, doleat necesse est, & conuertat se ex imo cordis sui, his vel similibus verbis ad Deum creatorem suum, orando, vt ab omni proprio priuatoque amore cor suum expurgare dignetur, verumque illi amorem infundere, quò nulli rei afficiatur, quàm soli Deo suo.

Ad patrem aspiratio simplex.

O Pater potentissime, ego creaturarum tuarum omnium nouissimus, rogo te per summam potentiam, sapientiam, ac bonitatem tuā; vt super omnia creata me subleues, & in te stabilias, quatenus ex totis viribus animæ meæ te diligam, & perpetua charitate inseparabiliter in te fixus maneam. Amen.

Ad filium aspiratio supplex.

O Sempiterna Dei patris virtus, & sapientia, Christe Iesu, per amorem illum fortissimum, quo ab æterno genus humanum dilexisti, te supplex oro, vt inextinguibili tui charitate me repleas, accendas & inflammes, vt nunquam cogitem aliud, quàm te, nec in aliqua re quiescam, nisi in te Deus meus, & Dominus meus. Amen.

Ad Spiritum sanctum aspiratio supplex.

O Æterna Dei bonitas, & Spiritus sancte Deus meus, ignis inextinguibilis, & flamma amoris immensi, totum cor meum consume, omnemque amorem pereгри-

num procul à me repelle. O amor cælestis dulcedinis, & dulcedo diuini amoris: ô amor non crucians, sed delectans: ô amor semper ardens, & nunquam deficiens, transforma me in te: accende me suauitate, dulcedine, iucunditate, exultatione, concupiscentiaque tui, quæ semper est casta, munda, & secura, quatenus te diligam ex toto corde meo, ex totisque medullis præcordiorum meorum. Amen.

Ad filium Dei supplex aspiratio alia.

O Iesu suauissime, ac præ filiis hominû speciosissime, vtinam perfectè te considerare, & amore flagrantissimo te prosequi possem, qui omninò immensus, incircumscriptibilis, & incapibilis es in teipso; sed vt me ad redamandum te induceres, tot mihi miseræ & deperditæ tuæ creaturæ amoris insignia declarasti, vt nullo modo ea enumerare possim.

Aspiratio alia ad eundem deuota.

O Iesu dulcissime, Deus meus, & Dominus meus, accende me igne arden-

tissimo sancti Spiritus, & reple me tui desiderio immenso, vt totus suauitate liquefiam, ac pietate erga te fluã. Diligam te, obsecro, dulcissimum, pulcherrimum, atque amabilissimum Deum meum, ex omnibus viribus meis, ex tota intentione cordis mei, cum multa contritione, & lachrymarũ fonte, cum multa humilitate & reuerentia. A.

Aspiratio alia ad Iesum Christum ignita.

O Iesu, vnicum desiderium anime mee, mollifica cor meum durum, lapideũ, saxeam, & ferream, tua sacratissima & potentissima vnctione; vt omnis meditatio cordis mei semper in te tendat, vt mediter te per dies sine cessatione, sentiam te per saporem in nocte; alloquatur te spiritus meus, fabuleturq; tecum mens mea iugiter. A.

Aspiratio alia ad eundem supplex.

O Utinam, pie Domine, ex nimio tui desiderio, totus hic mundus cum omnibus suis vanitatibus in me quandoq; mar-

cescant, & grauis illa concupiscentiarum desideriorumq; carnalium sarcina, quæ vsq; adeò spiritum meum ad terrena deprimit, in me alleuietur, quò expeditiùs post te in odore vnguentorum tuorum cælestium curam, & quandoque ad tuæ excellentissimæ maiestatis beatificam visionem satiandus te duce atque authore pertingam. Amen.

Alia aspiratio ad eundem deuota.

Benignissime, amantissime, charissime, potentissime, desideratissime, mi Iesu Christe, ô vtinam multitudinem dulcedinis tuæ, atque eximiæ charitatis cordi meo infundas, vt nunquam carnale aut terrenum quid cogitem, sed te solum vitam animæ meæ amem, te solum in corde meo circumferam. O Iesu, fons omnis dulcoris diuini-que saporis, scribe, digito tuo, dulcem tui melliflui nominis memoriam in memoria mea, nulla vnquam obliuione delendam. Exara in tabulis cordis mei voluntatem tuam, omnesque tuas institutiones, vt te immensæ maiestatis Dominum, tuaque diuina

præcepta semper & vbique locorum habeam præ oculis. Amen.

SCINTILLÆ ANIMÆ
amantis Deum flammigeræ.

DEus meus, pulchritudo oculorum meorum, fatietas cordis, nunquid non sufficis amanti? Quid extra te euagamur? quid aliud desideramus?

Eia, quæso, vulnera animam meam ô speciosissime, ô deliciosissime, vulnera animam meam amoris tui iaculo, imple omnia desideria mea, vt nihil me extra te delectet, nihil afficiat, te solum in omni creatura diligam, ad te æstuantissimis desideriis semper anhelem, & castissimo amore te solum omni momento cogitem.

O Domine Iesu, incende cor meum tui amore sanctissimo ac fidelissimo.

O vtinam amore tui ardeam. O vtinam amore tui langueam.

O amantissime Iesu, da mihi continuum amoris tui incendium, trahe me post te, curram & non deficiam.

Quemadmodū desiderat ceruus ad fontes aquarum , ita , quæso , sitiât anima mea ad te Deus meus.

Da mihi , benignissime Iesu , insatiabile & immensum desiderium tui , quod nulla creatura consolari possit.

O amabilissime Domine Iesu Christe , electissime sponse animæ meæ , obsecro te per cor tuum , & lancea transfixum , & amoris vulnere vulneratum ; transfige , vulnera , perfunde , & inflamma cor meum amoris tui incendio , tam valido , vt ex toto corde meo , hoc est , pleno desiderio , & perfecta voluntate te diligam , te quæram , te intendam in omnibus , & super omnia.

Diligam te Domine , Deus meus , ex tota anima mea , & omnes sensus meos in te conuertam , & tibi soli intendam.

Diligam te ex tota mente , vt intellectum & memoriam meam in te solo , & ad gloriam tuam occupem , tibi que soli inhæream.

Diligam te ex omnibus viribus meis , & omnes illas , & animæ & corporis , in tui laudem , amorem , ac beneplacitum tuum expendam. Diligam te Domine Deus meus,

vt tu solus me totum possideas, vt me totum in te absorbeas, atque transformes.

Domine Iesu Christe, fili Dei viui, da mihi toto corde, pleno desiderio, sitiente anima mea ad te aspirare, in te dulcissimo atq; suauissimo respirare, ac totum spiritum meum, & omnia interiora ad te, qui es vera beatitudo, semper anhelare.

Da mihi, vt omnis creatura mihi vilescat, & nihil me afficiat, nihil mihi placeat, nisi tu.

Dulcis Iesu, vulnera, & accende cor meum tui amore castissimo.

Trahe omnia desideria mea post te; vt te solum anima mea esuriat, sitiatur, te solum concupiscat, ad te indefinenter suspiret, & currat, tuique amore langueat, & mundana omnia fastidiat.

Dulcis Iesu, imple cor meum castissimis desideriis, quibus anima mea tui amore semper ardeat, & te semper cogitans, præter te aliud nesciat.

O vtinam tu solus cordi meo dulcescas, tu solus mihi placeas, suauissime Iesu.

Heu, Domine Deus meus, quando perfecte diligam te? quando constringam te

dulciter, ô vita mea inter brachia animæ
meæ ?

Quando amplexabuntur te, ô dulcissime
amator, omnia desideria cordis mei ?

O Domine Deus, vtinam meipsum & v-
niuersum mundum, tui amore perfectè
contemnam.

Vtinam anima mea tui amore liquefiat :
vtinam in te rapiatur, & absorbeat.

Suauissime & desiderabilissime, te solū
desidero, te solum concupisco.

Redde te mihi, & posside me tibi : atque
vtinam te solum verè & perfectè desiderem.

Quousq; arida est anima mea ? aquas siti-
ens alienas ? Oh imple eam ardore æstuan-
tissimæ charitatis, vt sitiatur ad te Domine,
Deus meus.

Amabilissime Iesu, vtinam vero & perpe-
tuo amplexu cordis constringere te merear.

Dulcis & speciose, quàm amabilis es, cur
non amo te ? Potes ne hoc tu sustinere, be-
nignissime creator, quòd aliqua creatura
non diligit te ? Quæso, suauissime Domine,
in me hoc non sustineas, sed irrumpas in cor
meum, & vim facias mihi potentissime.

O violentiam suauissimam, quando vim patiar. Iesu bone, rapias tibi spiritum meum, & infunde mihi spiritum tuum.

Deus meus, quàm benè mihi esset, si diligeres te. Et quantæ prudentiæ est amare te, quantæ suauitatis quiescere in te, quantæ vtilitatis possidere te?

Dulcis Iesu, da mihi illas diuitias, hoc est, te ipsum; & in cæteris omnibus sim pauper. Fac me pauperem spiritu, vt non quæram aliud nisi te.

O adorande, colende, metuende, omnipotens, sempiternæ Deus. O amator ardentissime, ô zelator fidelissime, quando redamabo te?

O quando me totum exhibo, & totus in te introibo? Vtinam me ipsum totum relinquam, & in te me totum effundam.

Excita cor meum, vt inueniam te: posside cor meum, vt requiescam in te, & obliuiscar omnium, quæ sunt extra te.

Nobilissime Iesu, quàm pulcher, quàm amabilis, quàm speciosus, quàm suauis es tu! Beati omnes, qui diligunt te.

Benignissime, & amabilissime Iesu, tu

cordis mei thesaurus, & vnicum gaudium, da mihi vt medullitus exeam, & relinquam me ipsum, & æstuantissimis desiderijs ad te semper aspirem.

O lumen verum, ô vita indeficiens, ô amor semper ardens, da mihi mundo & carni perfectè mori, & omnium rerum temporalium funditus obliuisci; vt pro illis neque gaudeam, neque doleam, neq; aliud præter te amatorem meum sentiam. Altissime, potentissime, pulcherrime, nobilissime, dulcissime, benignissime, amabilissime, desiderabilissime, suauissime Domine, veni & visita me, & fac tibi cor meum secundùm cor tuum, vt maneat semper mecum.

Suscipe me tibi, & da te mihi. Fac me tibi indissolubili vinculo amoris colligari; vt neq; mors, neq; vita, possint nos ad momentum separare.

Domine Iesu, fac me cognoscere vilitatē meam, & maiestatem, ac bonitatem tuā, vt inde in me crescat profundissima humilitas, & hinc accendatur perfectissima charitas.

Clementissime Iesu, cùm tu aliud nihil imperes, & illud vnum ego desiderem, vi-

delicet, diligere te ex toto corde meo, tibi-
 que placere in omnibus, & super omnia :
 heu cur hoc in me non impletur ?

Amantissime Iesu, cum ego nihil boni
 desiderare, quanto minus agere possum, ni-
 si quod gratia tua mihi desiderandum aut a-
 gendum inspirauerit : quod ergo inspiras,
 quod præcipis, quoc laudas, infunde mihi,
 vt velim & perficiam.

Diligam igitur te, Domine Deus meus,
 ex omnibus medullis animæ meæ, & faci-
 am omnem voluntatem, & omne benepla-
 citum tuum, quia Deus meus es tu.

Eia, misericordissime Iesu, nunc eadem
 repeto : Noli mihi negare, quod tu mandas,
 quod tibi acceptum, & mihi est desidera-
 tissimum, nec esset, nisi tu faceres, deside-
 ratissimum.

Imple ergo cor meum perfectissima, ar-
 dentissima, fidelissima, atque perpetua cha-
 ritate; vt quicquid sum, & possum, & quæ-
 cunque intra & circa me sunt, colant, quæ-
 rant, sitiant, diligant te, seruiantque, & pla-
 ceant tibi perpetuò & perfectissime.

Domine Iesu Christe, ostende virtutem

& potentiam tuam in me miserrimo peccatore: ostende, quòd maior est bonitas tua, quàm malicia mea.

Fac, vt qui haectenus à te totus auersus & frigidus fui, nunc conuertar ad te totus, & tui amoris flamma in te transformer accensus.

Deus meus, creator meus, vsquequò non cognosco te? quàm diu lates, & non requiro te? Imò præstò es, & non inuenio te. Tu salus mea vnica es, & non quæro te.

Ergo, amantissime, fidelissimè que zelator, qui cum non essem diligebas me, & vt essem, tu fecisti me; da mihi vt desiderem te, sitiam te, quæram te, curram post te, nõ quiescam donec inueniam te, & præ amore tui, cætera omnia fastidiam extra te.

Aspirationes hæc sæpius sunt repetendæ: si tibi illæ aut aliæ cordi fuerint, & eiusmodi ex animo desideraueris, non erunt otiosa desideria tua.

O benignissimè Domine Iesu Christe, da mihi vt totus diligam te feruentissimè. O fidelissimè Domine Iesu Christe, da mihi vt sentiam quàm immensa charitate nos dile-

xisti, & diligis.

O dulcissime Domine Iesu Christe, quàm libenter te amarem. Et quia vt hoc velim, tu dedisti; da ergo vt diligam te ex toto corde meo, quia sine te nihil possum.

Dulcis Iesu, ignosce vilitati ac temeritati meæ, quæ peto, & da quod rogo.

Fac me castissimo ardentissimoq; tui amore igniri, in te rapi, ac absorberi, ac omnium, quæ extra te sunt, obliuisci.

O amor cordis mei, da mihi, vt moriar tui amore.

O amabilissime Iesu, da mihi amorem erga te fidelissimum, strenuissimum, castissimum atque purissimum, qui incessanter te sentiat, te laudet, tibi gratias agat, tibi obediatur, tui honorem ardentissime sitiat, & totum se tibi impendat.

O Iesu pro me crucifixe, transforma, queso, me in te; & fac, vt clavis amoris inauertibiliter sim crucifixus in te.

Fac vt placeam tibi totus, semper & perfectissime. O Iesu amabilissime, ô amator fidelissime, ô amator delitiosissime, vtinam totus tui amore merear inebriari.

O quando videbo te facie ad faciem? O
utinam tui amore in te absorberi merear.

Utinam incendio amoris tui in te conflagri, tibi vniri, & in te consumi merear.

Dulcis Iesu, age mecum, & fac me ita, vt
vltra nequeam te offendere, vt tibi vltra
non possim displicere.

Desiderabilissime Iesu, da mihi desiderium
tui, vt viuere sine te nequeam, & amore
tui langueam. Esuriat & sitiatur ad te anima
mea, viuatur & subsistat in te solo anima mea:
requiescat in te vno mens mea.

Pie Iesu, imple me charitate tua, & perfectissima
humilitate. Sic tui amore semper
perfectissimaque charitate ardeam, vt vilitatem
meam simul attendere non desinam.

Ego peccator sum, tu Deus meus, tu mihi
omnia es. In manus tuas commendo spiritum
meum, ac totum meipsum. Amen.

PRO CVNCTORVM CHRISTI FIDELIUM
vitae castigatione, per septem extrema
verba Christi in cruce, precatio.

O Dulcissime Domine Iesu Christe, obsecro te per amorem, quo septem ver-

ba vltima in cruce pro nostra salute dixisti, miserere miseris omnibus viuis & defunctis, & da nobis veniam & gratiam plenariam.

O piissime Iesu, qui dixisti: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Ignosce nobis & omnibus nos lædentibus, odientibus, & persequentibus: similiter quos nos læsimus vnquam, aut offendimus.

Et qui dixisti: Hodie mecum eris in paradiso. Redde nobis & omnibus fautoribus, amicis, & benefactoribus nostris, propter nomen sanctum tuum vitam æternam.

Et qui dixisti: Mulier ecce filius tuus. Miserere nobis, & omnibus parentibus, prælati, fratribus, commissis, & cõiunctis nostris carnalibus, & spiritualibus. Et commenda nos omnes fidei curæ piissimæ matris tuæ in filios, nunc & in vltima angustia nostra.

Et qui dixisti: Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti? Miserere omnibus têtatis, afflictis, miseris, oppressis, & desolatis hominibus, & libera nos omnes à malis.

Et qui dixisti: Sitio. Miserere nobis & omnibus peccatoribus, errabundis, excæcatis, induratis, & desperatis hominibus,

quorum salutem tantopere sitiebas in cruce; & conuerte nos omnes perfectè ad te.

Et qui dixisti: Consummatum est. Confirma, nos & omnes pios in bono quod habent, & fac illos in tua gratia continuè proficere, & perseuerare; & supple omnia bona, quæ hæctenus negleximus.

Et qui dixisti: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Præueni tua gratia omnes nascituros: præserua à lapsu iuuenes: da lapsis resipiscentiam & constantiam: senibus & morientibus contritionem, & veniam: defunctisque requiem, & pacem perpetuam. Propter amorem, qui te vitam viuentium mori coëgit, pro omnibus istis redimendis, suscipe animas nostras egredientes in manus tuas, & merito tuo illis succurrente, protege illas ab insultibus omnium hostium suorum, & salua illas secundùm infinitam misericordiam tuam.

Amen.



Caput XI.

AD BEATISSIMAM VIRGINEM
Mariam, precatio.

Iesu nati Clemens, ô pia, ô dulcis Maria, vti-
nã ego totus tuus, & tu tota sis mea,
me custodiens, gubernans, possidens, & ab
omni peccato, ab omni malo, ab omni im-
pedimento, ab omni quoq; medio inter me
& Deum me liberans, atq; præseruans. A.

Pro sanctis in cælo Deum lauda, dicens.

Benedico te amantissime Iesu, Deus me-
us, pro omnibus gratiis, ac donis, quæ
sanctis tuis in hac vita mortali olim, & nunc
in gloria tecum constitutis, contulisti: præ-
cipuè tamen his, quorû hodie est festiuitas
in cælis, aut in Ecclesia memoria, & potissi-
mû patronis meis, Annæ, Barbaræ, & Magda-
lenæ, N. N. & sanctis omnibus virginibus.

Horum omnium orationes, ac merita ti-
bi pro me offero, & per illos me tibi nunc
in cor tuum piissimum commendo. O fan-

cti Dei omnes intercedite pro me, & ad vos me trahite. Amen.

Pro iustis in mundo constitutis, precatio.

A Doro, laudo, & benedico te, piissime Domine, Deus meus, pro donis, gratiis, ac beneficiis omnibus, quæ N. & N. id est, huic & huic, & aliis omnibus electis, ac dilectis tuis amicis in mundo adhuc constitutis, contulisti. Horum preces, ac merita, tibi pro me nunc offero, & me per illos, in cor tuum tibi commendo.

Oro quoque; immensam bonitatem tuam, Deus meus, ut tu illos semper in gratia tua custodias, prouehas, dirigas, & omnia eis bona, ac dona tua augeas, atque multiplices ad gloriam tuam. Amen.

Pro peccatoribus, & seipso, precatio.

A Doro, laudo, & benedico te, misericordissime Deus meus, & gratias tibi ago pro immensa clementia tua, & bonitate tua infinita, qua nos miseros peccatores

ingratos, atq; adeò vita ipsa indignos, misericorditer non solùm sustines, sed etiam parcis, & benefacis nobis. Vincat igitur tandem, ô Deus meus, vincat, quæso, malitiam nostram bonitas tua, emolliat duritiam nostrâ pietas tua, inflammet congelata corda nostra ardentissima charitas tua, vt ex vasis iræ, mutemur in vasa misericordiæ, & ab omnibus peccatis liberati, tantò efficiamur in amando te feruentiores, quantò hactenus fuimus frigidiores.

Dulcis Iesu, da nobis post te currere, & imitari vestigia vitæ, & passionis tuæ, vt deuotionis in nobis magnitudo compenset nostræ conuersionis tarditatem, & inde magis puri, ac sitibundi te quæramus, quò diutius, ac grauius te contempsimus fontem æternæ vitæ. Da nobis, vt toto corde ad te conuersi, & in gratia tua confirmati, laudemus te redemptorem, & saluatorem nostrû in æternum. Amen.

Pro commissis, ac commendatis, precatio.

Oro autem te, ô bonitas infinita, præcipuè pro meipso omnium miserr-

mo, atque vilissimo, qui gratiæ tuæ auxilio præ cæteris tantò magis egeo, quantò infirmior, & ad omne bonum impotentior sum. Scis tu, benignissime Deus, quàm nihil, & inutilis sum, & gratiam tuam in me, & in aliis impedio atque euacuo. Quapropter, ò omnium liberalissime, atq; piissime Domine, supplex te oro pro omnibus mihi commissis, ac commendatis. Hæc enim omnia, id est, animas, & corpora, & quæcumq; mihi commendata sunt, tibi iterum commendo, & in cor tuum, dulcissime Iesu, eadem abscondo, atque immergo.

Tu, quæso, cuncta regas, protegas, custodias, & salues iuxtà beneplacitum tuum, ad gloriam tuam sempiternam. Domine Deus meus, pro hoc loco, & huius loci habitatoribus, obsecro te, per effusionem sanguinis tui, & per omnium miserationum tuarum abyssum, ut super nos omnes abundet, confirmeturq; gratia tua, & nemo ex nobis pereat. Tu verò spiritualia, & temporalia nobis secundum beneplacitum tuum largiaris, nosque & illa administres, & dirigas, ut cultus tuus, animarumque salus hic semper

vigeat, crescat, perseveretque in æternum.

Dulcissime Iesu, fidelissime amator, res, hominesque; ac omnia huius loci, & omnium mihi commissorum iterum tibi in cor tuum offero, ac commendo, quia tu ab æterno sciisti quòd ego nihil sum, & necesse est, ut tu ipse illa custodias, regas, nosque possideas. Hoc modo etiam tibi commendo omnes, qui à me petunt orationes. Tu misericordissime, qui dives es in omnibus, iuxta fidem illorum, & pro misericordia tua, glorifica nomen tuum, & facias illis non iuxta vilitatem, & demerita mea, sed secundum bonitatem tuam. Amen.

Pro confœderatis, precatio.

OMnes, piissime Iesu, qui mihi propter te confœderati, atque vniti sunt, tibi offero: tu, quæso, tibi eos confœdera, ut omnes tecum vnum simus. Amen.

Pro benefactoribus, precatio.

OMnibus mihi beneficientibus, atque fauentibus, tu clementissime Domi-

ne, pro me teipsum retribuas: quia melius nec ego petere, nec tu dare potes nobis, quàm teipsum suauissime, atque æterna bonitas. Amen.

Pro tentatis, ac afflictis, precatio.

OMnes tentatos, desolatos, afflictos, ac mœstos, misericordissime Iesu, pro infinita pietate tua consolare, iuxtà eorum vtilitatem & tuã voluntatem. Esto memor quia te solum habemus Domine, ad quem securi confugiamus in omnibus necessitatibus nostris. Absit igitur à tua bonitate, vt tu repellas nos, qui es Deus noster, refugium nostrum, & virtus in omni tribulatione. A.

Pro fidelibus defunctis, precatio.

Memor esto, benignissime Deus, misericordiarum tuarum, quæ à seculo sunt: & fidelibus omnibus defunctis da refrigerium & requiem sempiternã. Descendat, piissime Iesu, sanguinis tui rosei ac calidi effusio in purgatorium, & recreet refri-

geretque omnes ibi captiuos ac patientes. Libera eos, Domine Deus noster, ex omnibus angustiis eorum. Domine Iesu, ego do illis mortem tuam, & sanguinem tuum. Quomodo enim aliter possum illis succurrere aut mederi? Largire tu, ut horum virtute liberentur. Amen.

Quando pro aliquo, aut pro te etiam ipso orare desideras, precatio.

Domine Iesu Christe clementissime, illustra cor N. gratia tua, consolare & imple cor eius ardentissima charitate: honorem tuum, beneplacitum tuum, ac te ipsum solum ex toto corde suo quaerat, ac diligat, & seipsum tibi funditus relinquat ac resignet, omniq; tempore in oculis tuis inueniatur secundum beneplacitum tuum. A.

Pro parentum, consanguineorum, amicorumq; vite correctione & salute, precatio.

Rogo te, o clementissime Iesu, per sanctam incarnationem, passionem & mor-

tem tuam, & per omnia quæ ab initio vsque ad finem vitæ sustinuisti, miserere parentum, fratrum, sororum, amicorum, benefactorumque meorum: & eorum omnium qui mihi occasio, aut subsidium fuerunt ad hunc statum perueniendi. Et dignare in nobis corrigere, quæ tibi displicent, largiriq; quæ tibi placent, vt nunc gratia tua digni redamur, & posthac tecum sine fine letemur. A.

Pro afflictorum desolatorumq; subleuamine, precatio.

ROgo dulcedo cordium, & tribulatum summum refugium, Christe Iesu, vt per merita omnium anxietatum & angustiarum piissimi cordis tui, omnibus afflictis, tentatis, ac desolatis subuenire digneris, eosque ab omnibus malis, atq; periculis tam corporis, quam animæ eripere, gratiamq; tuam in ipsorum cordibus augere, ac ad æternæ felicitatis brauium perducere. Amen.

Pro Ecclesiæ Catholicæ reformatione, & errantium animarum reuocatione ad viam veritatis, precatio.

O Pastor bone & fidelis, Christe Iesu, oues tuas ferocissimorum luporum dentibus raptas, ad ouile tuum, sanctam reduc Ecclesiam: renoua eos spiritu dulcedinis tuæ, ac omnium errorum, totiusque perfidiæ & infidelitatis caliginem ab eorum cordis oculis deterge; quò vocem tuam agnoscant, teque in vera humilitate, & ardentissima charitate sequantur.

Reforma quoq; pristinæ charitatis, & innocentia feruore Ecclesiam tuam sanctam, quam proprio sanguine redemisti, ac de diabolica captiuitate liberaisti: maximè autè Ecclesiasticos Ordines, ouiumque tuarum pastores & prælatos; vt oues tuas viam veritatis edoceant, quæq; ore docent, opere ipsi implere satagant. Tu enim, pie Domine, oculis tuis ipse cernis, ad quantam omnes nos miseriam, & calamitatem dilapsi simus, sed non absq; nostro demerito. Non enim iniustus es, qui infers iram. Tibi Domine peccauimus: Te patres nostri ad iracundiam concitauerunt, neq; nos à via eorū recessimus, vt te ex toto perquireremus corde. Ideò satis iustè inuenerunt nos hæc

omnia, quæ patimur. Sed spero quòd tandem misericordissimis tuæ pietatis oculis, super nos respicies, qui non in finem irasci soles, sed iuxta Prophetam tuum, Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Hac spe fretus, pro tua desolata Ecclesia, cuius & ego membrorum minimus sum, tibi supplico, te oro, & obsecro, omniaque pietatis tuæ viscera precibus meis pulso; vt omnibus nobis, præcipuè in necessitatibus & periculis variis constitutis, iuxta solitam tuam benignitatem succurras, eosque protegas, & gratia tua, sine qua nihil sumus, munias & defendas. Amen.

*Effusio cordis pro suis ipsius, sibi commissorum
cunctorumq; Christianorum conuersio-
ne, & correctionis vite pro-
sequitione.*

OMi dilectissime Domine Iesu Christe, obsecro te, vt amabilis & infinita benignitas tua, omnia peccata mea propria dignetur remittere, & per amarissimã passionem tuam delere, consumereq; in immen-

so amoris tui incendio : & me miserum in gratiam & vnionem tecum adeò trahere, & confortare per amorem, vt exiens ad proximos meos, omnium hominum, & maximè mihi commissorum peccata in me suscipere, & continuè deplangere, & expiare valeam : vt tu in me, & ego in te manens, simul impleamus opus fraternæ charitatis.

O misericordissime Dñe, tuum ad omnes homines amorem extendo, & cum illo vias peccantium lugeo, & in illum omnium hominum, & singulariter mihi commissorum crimina suscipio, & in abyssum misericordiæ tuæ proiicio : obsecrans vt illis & mihi veræ cōtritionis, & emendationis gratiam largiri digneris. O piissime Deus, cōfido immensæ bonitati tuæ, quòd si ego solus omnium hominum peccata commissem, & me cū illis perfecto ad te corde conuertere & emendare vellem, mox ab omnibus peccatis me liberares, & in ardentissimi amoris tui igne, velut modicam stuppā, illa omnia concremares.

Hinc ad ianuam infinitæ misericordiæ tuæ veniens pulso, & obsecro, pro grauissi-

ma inhonoratione, & infinitis iniuriis, offensis, & blasphemis, quæ tuæ dignissimæ maiestati, à me, & aliis creaturis tuis viuis & defunctis irrogatæ sunt, & adhuc absq; cessatione multum nimis irrogantur; vt propitius miseraris super omnibus malis istis, & respicias oculis clementiæ tuæ, quàm graui me sarcina miser oppressi hæc in me suscipiens, qui tam infelix & vitiosus sum in meipso. Verùm, quoniam te tam fidelem & clementē patrem in meipso expertus sum, vt sitias etiam omnium hominum salutem: hinc ad te humiliter accedēs rogare audeo, vt si miser ego, propriisq; vitiis nimis onustus, tam mea, quàm mihi specialiter commissorum, & omnium hominum peccata cum sanguine cordis mei emédare possē, etiam si deberem millies mori omni hora, & omnium damnatorum pœnas cum gratia tua sustinere, quò illos tibi adducerem, vt tu in me, & in illis, quiescere valeres (ad quod nos omnes creasti) ad hoc me totum tibi offero, & hilariter resigno.

Sed quoniã nihil sumus, nihil habemus, neq; valemus absq; te, obsecro te, clemen-

tissime Domine, Deus noster, ô summe sacerdos, qui temetipsum obtulisti Deo patri pro nobis in odorem suauitatis; vt omnium nostrum miseraris, tua ardentissima charitate, vita, passione, & sanguine pretiosissimo vniuersa nostra delicta deleas, neglecta nimis multa suppleas, impedimenta nos à tui accessu remorâtia tollas, & nobis, vt peccata nostra clara cognitione, amara contritione, vera confessione, & integra satisfactione emendare, & tibi de cætero toto corde reconciliari, obedire, placere valeamus, concedas.

O verbum æternum propter nos incarnatum, & crucifixum, parce, quæso, ignosce, & succurre plebi tuæ. Præueni & conuerte corda nostra, quamuis excœcata, & indurata, vt totis viribus quæramus te, & sapiamus quæ tua sunt: sicq; vnanimiter resistamus omnibus hostibus honoris tui, & salutis nostræ, viuamusq; de cætero iuxta tuam voluntatem bonam, beneplacentem, & perfectã; vt perfecta tibi charitate vniamur, & adhæreamus, & nunquam à modò à te separemur. Amen.

Pro intentione simplici quolibet in opere, precatio.

A Mantissime Domine Iesu Christe, obsecro te per amorem illum perfectissimum, quo salutem nostram zelando, ubiq; tam fideliter, quàm feruenter quæris. Da mihi rectam, puram, simplicem, ac deiformem in singulis intentionem, vt in quibuscunque agendis, aut dimittendis, eligendis, atque cauendis, & viuens, & moriens non aliud quæram, non aliud intendam, quàm purè gloriam, & beneplacitum tuum. Da igitur mihi, fidelissime amator, vt extoto corde meo desiderem, diligam, & quæram nihil in tempore, & æternitate (extincto per gratiam tuam in me penitus omni priuato amore) quàm tuum honorem, & gloriã. A.

Pro fidelitate, & gratitudine ad Diuam virginem Mariam, precatio.

O Abyssus omnium gratiarum, & speculum omnium virtutum, misericordissima, atque dulcissima Domina mea, san-

Orationes commu. 247

cta Maria, impetra mihi à Deo, cuius es ma-
 ter, & filia, vt propter suam pietatem, & tu-
 am benignitatem auferat à me odibilem in-
 gratitudinem, omnifq; cordis duritiam: vt
 beneficia eius, scilicet, creationis, redempti-
 onis, misericordissimæ vocationis, protecti-
 onis, & cætera cum summa animi magnitu-
 dine recolere valeam, ipsumq; indefinenter
 laudem, & honorem, ipsi cum castissimo
 cordis iubilo gratias agam, ipsum cõtinen-
 ter cum profundissima humilitate, filiali ti-
 more, summaq; reuerentia magnificem, &
 adorem, ipsiusq; mandatis perfectè obtem-
 perem. Rogo te præterea, ô mater suauissi-
 ma, quæ reuera meritis es potentissima, pie-
 tate affluentissima, miserationibusque exu-
 berantissima, fac, vt tuarum pariter in me
 misericordiarum, & beneficiorum sine ces-
 satione memor sim, tibi que vel aliquam fi-
 delitatis, & amoris vicissitudinem pro om-
 nibus, quæ hactenus mihi tribuisti repen-
 dere non cessem: quatenus à tua,
 & filij tui Domini mei Iesu
 Christi gratia non ex-
 cidam. Amen.

*Pro plena sui ipsius abnegatione, & animi
resignatione, precatio.*

Benignissime Domine Iesu Christe, in
vniōne illius resignationis, qua te ipsum
patri in omne eius beneplacitum obtulisti,
& hominibus etiam omnibus te subiecisti,
offero, & resigno me in omne beneplacitū
tuum, ad omnia tam tristia, quàm læta. Fac
tu me, & mecum, quomodo tibi maximè
placeat. Hoc vnum mihi, fidelissime Iesu
mi, tribue, vt gratia, dignatio, ac amicitia
tua (quibus licet indignissimus sim) exube-
rantissima, sempiterna, atque indeficiens in
me sit, & semper perseueret, qua roborante,
& impellente mihi ipsi, & vniuerso mundo
moriar, tibi verò soli viuam.

Dulcis Iesu, fac vt omni amori priuato,
omni amori, & affectui ad quascumq; crea-
turas inordinato, cunctis vitiis, & passio-
nibus, omnibus delectationibus sensuum,
omni superfluitati, omni proprietati, omni
curiositati, & desideriis quibuscumque non
puris, perfectè abrenunciem, & moriar.

Dulcis Iesu, per mortem tuam amarissi-

mam, te obsecro, da mihi omnibus desideriiis, & inclinationibus naturæ vitiosis, & quidquid in me est, quo te non purè quero, aut intendo, perfectè mori; vt tu solus plenè, atque perfectè me possideas, nec aliud velle, vel posse ego habeã extrà te, sed anima mea in omnibus viribus, & potentiis suis tibi sit, maneatque vnita; vt in me tu solus viuas, & opereris, sicut in proprio instrumento. Misericordissime Iesu, hoc est, quod ex abyssò cordis mei desidero, ac rogo, vt omnes vires, & potentias animæ meæ, quidquid sum, & possum, tu solus habeas, & per amoris incendium consumas, absorbeas, & in te transformes.

Pro Crucifixi Christi conformatione, & perseuerantia, precatio.

O Iesu Christe rex summe, amabilis, corona confitentium, fortitudo pugnatum, atque ciuium cælestium perfecta beatitudo, memèto oro mei, & verbi tui quod locutus es, per quod mihi spem dedisti; illius dico iucundissimæ promissionis, qua

dixisti: Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. O amabilissime Domine, si cælum, & terra transibunt, verba autem tua in æternum permanent; firmentur nunc verba tua super seruo tuo. Ecce sto in conspectu tuo, qui omnium tibi sum causa poenarum, vilis peccator, cinis & exiguus puluis, attamen creatura tua, & plasma tuum. Et non solùm exaltatus, sed ab omnibus etiam derelictus fuisti, insuper ita distentus, dilaceratus, & excruciatu, vt vix potueris respirare. Trahe ergo me nunc ad te, quatenus de reliquo non mihi, sed soli tibi viuam. Occide veterem in me hominẽ cum vitiis, & concupiscentiis suis, & quidquid in me latet, quod gratiæ tuæ obstaculum parare possit, & indue me nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis; vt sicut tu omnia sanctissima tua membra pro me in cruce extendere non es dedignatus, ita posthac ad tui dulcissimi nominis honorem, omnia mea dilatem membra, & viscera, atque ad tuos suauissimos aspirem, anhelem, & æstuem amplexus, neque quoad viuam, hanc ad

quam gratiosè me vocasti, conuersationem commutem, aut dimittam, sed in finè vsque fideliter in ea perseuerem; hoc mihi præstante gratia tua. Amen.

*Pro puritate, & simplicitate cordis,
precatio.*

Iesu Christe, splendor patris, candor lucis æternæ, & speculum sine macula: per incomprehensibilem diuinitatem tuam, obsecro te; da mihi castitatem corporis, munditiam cordis, simplicitatem spiritus, & sincerissimam puritatem mentis. Dulcis Iesu, omnia vitia, omnes inordinatos motus, & passiões, mortifica in me. Quicquid illicitum, quicquid inordinatum est, quicquid tibi displicet, aufer à me: & da mihi cor rectum, simplex, purum, deiforme, secundùm cor tuum. Libera, & custodi me ab omni peccato. Omnia membra mea, sensus, animæ potentias, & quidquid sum, hæc omnia reformanda, custodienda, regenda, atq; posidenda, offero tibi, benignissime Iesu: custodi que me ab omni opere illicito, ab om-

ni verbo otioso, ab omni cogitatione vitiosa, vana, aut superba, ab omni motu inordinato, ab omni affectione non casta, aut abs te aliena, ab omni que intentione impura; vt te solum purè quæram, in te solo requiescam. Domine Deus meus, fac vt nihil me afficiat, nihil me delectet, nihil mihi placeat, nisi tu, & ego tibi soli placere cupiam, tibi que soli inhæream. Amen.

FINIS ORATIONVM.

Caput XII.

ALLOCVTIO AD ANIMAM.

CVm ergo tu pauperula anima mea in tua natura & essentia verè sis spiritalis substantia, & spiritus, quemadmodù & alij spiritus, à Deo creatus, de quo multum illi teneris esse grata, quia si ipse voluisset te non creare, vel serpentem aut turpissimam rem creare potuisset, cui suam nobilissimam essentiam non communicaret.

Cū, inquam, sis ad ipsius imaginem & similitudinem nobilissimè creata, insuper & ipsius gratia speciali per baptismum à malis & damnatis spiritibus, & eorum potestate liberata, de quo debes illi esse magis grata.

Et vltra hæc ex ipsius maiori gratia, bonis spiritibus tam cælestibus, quàm terrestribus viris verè spiritualibus, in hac sancta religione sociata, licèt indignissima: vnde maximè debes illi esse grata. Et super hæc omnia, ipsius abundantiori gratia & misericordia, in loco isto sancto, ad laudandum ipsum cum omnibus sanctis spiritibus specialiter collocata: vnde super omnia debes esse gratissima, & ad laudandum ipsum omni tempore cum omni exaltatione promptissima, & fidelissima. Nimirū si voluisset Deus, iuxta merita tua, ante multa tempora in inferno fuisses locata. Vt ergo possis eundem tam misericordem Dominum Deum tuum dignè laudare, debes cum beato Petro, verè digno laudatore, eundem Dominum Deum tuum trina confessione, summè, summè, plusquàm alij, amare, & cum eodem Petro propter prædictū amo-

rem, omnia relinquere mundo, & tibiipſi perfectius, quàm priùs moriendo & renun-
ciando, & cum eodem Petro eundem Do-
minum ſequi, & imitari per vias ſuas, non
tuas, obedienter, & perfectius quàm priùs
ambulando. Inſuper cum eodem Petro in
amore prædicto, crucem tuam poſt Domi-
num tollere, omnia aduerſa per ipſum ſu-
per te miſſa, vel permiſſa, patienter tolle-
rando. Sed & generaliter cum eodem &
pro eodem amore, omnem vitiorum fomi-
tem in te penitus mortificare: fomitem vi-
delicet concupiſcentiæ carnis, concupi-
ſcentiæ oculorum, & ſuperbiæ vitæ extin-
guendo.

At quoniam ſine ipſo nihil horum pote-
ris facere, debes ipſius miſericordiam in ad-
iutorium, & omnium ſanctorum merita &
ſuffragia, ad hæc perficienda inceſſanter in-
uocare, & obſecrare, & vnà mecum ex to-
to corde, ex tota anima, ex tota mente &
virtute dicere.

KYrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie e-
leiſon. Pater noſter. Aue Maria. Et
ne nos inducas. *Versus.* Lætamini in Do-

mino, & exultate iusti. Et gloriamini omnes recti corde. Deus exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui nos concedis omnium sanctorum tuorum merita venerari, da nobis in æterna beatitudine de eorū societate gaudere, & eorū meritis & precibus omnia peccata nostra præterita, heu, heu, heu in te, aut in quemcumque commissa, verè pœnitendo sic deslere præsentia, & omnia tentamenta sic vincere & delere, & omnia futura per tuam gratiam sic præcauere, & vltèrius in omnibus debitis virtutibus nos sic perseueranter exercere, præsertim in supradictis perfectis dilectione, abrenunciatione, imitatione, tolerantia, & mortificatione, te laudando cum sancto Petro, tibi ita viriliter & finaliter adhærere, vt tu in nobis, & nos in te manendo, mutuò nos valeamus feliciter & inseparabiliter possidere, & te cum patre & spiritu sancto, cum lætitia & gloria omnium electorum tuorum laudare, per omnia secula seculorum. Amen.

L I T A N I Æ
 DE DVLCISSIMO
 N O M I N E I E S V .

K Yrie eleison,	Kyrie eleison.
Christe eleison,	Christe eleison.
Christe audi nos,	Christe exaudi nos.
Iesu de cælis Deus,	Miserere nobis.
Iesu sancte Deus,	Miserere nobis.
Iesu fili Dei,	Miserere nobis.
Iesu Redemptor mundi Deus,	Miserere no.
Iesu in mundū à patre misse,	Miserere no.
Iesu de Spiritu sancto concepte,	miserere n.
Iesu de virgine Maria nate,	miserere nob.
Iesu in medio animalium posite,	mise. no.
Iesu secundum legem circumcise,	mise. no.
Iesu à Magis adorate,	miserere nob.
Iesu in templo præsentate,	miserere nob.
Iesu ab Herode persecute,	miserere nob.
Iesu in Ægyptum portate,	miserere nob.
Iesu in Nazareth nutrite,	miserere nob.
Iesu in medio Doctorum inuente,	mise. no.
Iesu in mundo conuersate,	miserere nob.

Iesu à Ioanne Baptista baptizate, mise. nob.
Iesu in deserto tentate, miserere nob.
Iesu in monte Thabor transfigurate, mis. n.
Iesu à Iuda vendite, miserere nob.
Iesu triginta argenteis appreciate, mise. no.
Iesu à turba capte, miserere nob.
Iesu ad Annam primò ducte, miserere nob.
Iesu in carcere posite, miserere nob.
Iesu coram Pilato falsò accusate, mise. nob.
Iesu ab Herode illuse, miserere nob.
Iesu pro Barraba tradite, miserere nob.
Iesu iniustè condemnate, miserere nob.
Iesu ligate & flagellate, miserere nob.
Iesu spinea corona coronate, miserere nob.
Iesu in cruce posite, miserere nob.
Iesu clavis conclauate, miserere nob.
Iesu aceto & felle potate, miserere nob.
Iesu cum sceleratis deputate, miserere nob.
Iesu hora nona mortue, miserere nob.
Iesu lancea vulnerate, miserere nob.
Iesu in nouo monumento sepulte, mise. no.
Iesu tertia die resuscitate, miserere nob.
Iesu in cælum assumpte, miserere nob.
Iesu dator sancti Spiritus, miserere nob.
Iesu magni consilij angele, miserere nob.

Iesu admirabilis consiliarie, miserere nob.
 Iesu Messias ille promisse, miserere nob.
 Iesu propheta magne, miserere nob.
 Iesu Sacerdos magne, miserere nob.
 Iesu fructus vitæ perpetuæ, miserere nob.
 Iesu vitæ & mortis Domine, miserere nob.
 Iesu sapientia patris, miserere nob.
 Iesu caput iustorum, miserere nob.
 Iesu pastor omnium pastorum, mise. nob.
 Iesu refugium peccatorum, miserere nob.
 Iesu iudex viuorum & mortuorum, mise. n.
 Iesu limpitas omnium angelorum, mise. n.
 Iesu speculum omnium beatorum, mise. n.
 Iesu contemplatio Patriarcharum, mise. n.
 Iesu illuminatio Prophetarum, mise. nob.
 Iesu norma Apostolorum, miserere nob.
 Iesu victoria Martyrum, miserere nob.
 Iesu confortatio Confessorum, mise. nob.
 Iesu patientia Eremitarum, miserere nob.
 Iesu corona virginum, miserere nob.
 Iesu castitas viduarum, miserere nob.
 Iesu merces omnium sanctorum & sancta-
 rum, miserere nob.
 Iesu robur cordium, miserere nob.
 Iesu lætitia fidelium, miserere nob.

Iesu sempiternum gaudium , miserere nob.
Iesu lilium conuallium , miserere nob.
Iesu nectar cælicum , miserere nob.
Iesu manna suauissimum , miserere nob.
Iesu sol oriens ex alto , miserere nob.
Iesu virtutum augmentatio , miserere nob.
Iesu vitiorum exterminatio , miserere nob.
Iesu viatorum directio , miserere nob.
Iesu afflictorum consolatio , miserere nob.
Iesu per quem facta sunt omnia , mise. nob.
Iesu in quo viuunt omnia , miserere nob.
Iesu gloria Mariæ virginis matris , mise. nob.
Iesu honor curiæ triumphantis , mise. nob.
Iesu solatio Hierarchiæ cælestis , mise. nob.
Iesu defensor Ecclesiæ militantis , mise. no.
Iesu bellator fortis , miserere nob.
Iesu triumphator mortis , miserere nob.
Iesu declarator sanctæ Trinitatis , mise. no.
Iesu amor humanæ salutis , miserere nob.
Iesu scutum bonæ voluntatis , miserere nob.
Iesu lapis angularis , miserere nob.
Iesu princeps pacis , miserere nob.
Iesu turris fortitudinis , miserere nob.
Iesu cui data est omnis potestas , mise. nob.
Iesu vera societas , miserere nob.

Iesu plena iucunditas,	miserere nob.
Iesu perfecta lætitia,	miserere nob.
Iesu perfecta felicitas,	miserere nob.
Iesu plenum gaudium,	miserere nob.
Iesu rex regnantium,	miserere nob.
Iesu Domine dominantium,	miserere nob.
Iesu via errantium,	miserere nob.
Iesu veritas loquentium,	miserere nob.
Iesu refectio pœnitentium,	miserere nob.
Iesu hilaritas mœrentium,	miserere nob.
Iesu æternitas viuentium,	miserere nob.
Iesu sanitas languentium,	miserere nob.
Iesu vbertas egentium,	miserere nob.
Iesu delectatio mentium,	miserere nob.
Iesu liberatio tentationum,	miserere nob.
Iesu vita viuorum,	miserere nob.
Iesu resurrectio mortuorum,	miserere nob.
Iesu remunerator animarum,	miserere nob.
Iesu quem colunt omnia,	miserere nob.
Iesu ad quem respiciunt omnia,	miserere nob.
Iesu fons vitæ,	miserere nob.
Iesu doctor iustitiæ,	miserere nob.
Iesu testimonium fidele,	miserere nob.
Iesu decus cæleste,	miserere nob.
Iesu lignum vitale,	miserere nob.

Iesu mel in ore,	miserere nob.
Iesu mellos in aure,	miserere nob.
Iesu iubilum in corde,	miserere nob.
Iesu lux mundi,	miserere nob.
Iesu lumen cæli,	miserere nob.
Iesu ostium paradyfi,	miserere nob.
Iesu pauor inferni,	miserere nob.
Iesu flos campi,	miserere nob.
Iesu fili Dauid,	miserere nob.
Iesu principium & finis,	miserere nob.
Iesu ab omni malo liberās,	Libera nos Dñe.
Iesu ab omni peccato liberans,	lib. nos D.
Iesu ab ira tua liberans,	libera nos Dñe.
Iesu ab insidiis diaboli liberans,	lib. nos D.
Iesu ab improuisa morte liberans,	lib. n. D.
Iesu ab ira & odio,	libera nos Dñe.
Iesu ab omni voluntate,	libera nos Dñe.
Iesu à peste, fame, & bello,	libera nos Dñe.
Iesu à fulgure & tempestate,	libera nos D.
Iesu à spiritu fornicationis,	libera nos Dñe.
Iesu à morte perpetua,	libera nos Dñe.
Iesu in die iudicij,	libera nos Dñe.
Iesu qui tollis peccata mūdi,	parce nob. D.
Iesu qui tollis peccata mūdi,	exaudi nos. D.
Iesu qui tollis peccata mundi,	mise. nob.

Antiphona.

Omnis qui inuocauerit nomen Domini,
saluus erit

Ver. Sit nomen Domini benedictum.

Ref. Ex hoc nunc & vsque in seculum.

O R A T I O.


DEus, qui glorioso ac mirabili nomine
dilectum unicum tuum, redempto-
rem nostrum, Iesum appellare voluisti: con-
cede propitius, vt qui eiusdem benedicti
Saluatoris nostri nomen celebriter venera-
mur in terris, eius felici consortio, perenni-
ter perfruamur in cælis. Amen.

L I T A N I Æ,
DE BEATA VIRGINE
M A R I A.

K Yrie eleison.	Kyrie eleison.
Christe eleison.	Christe eleison.
Christe audi nos.	Christe exaudi nos.
Pater de cælis Deus,	Miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus,	Misc. nobis.



Spiritus sancte Deus ,	Miserere nobis.
Sancta Trinitas vnus Deus,	Miserere nobis.
Sancta Maria ,	Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix ,	ora pro nob.
Sancta virgo virginum ,	ora pro nob.
Mater viuentium ,	ora pro nob.
Mater pulchrae dilectionis ,	ora pro nob.
Mater sanctae spei ,	ora pro nob.
Paradysus voluptatis ,	ora pro nob.
Lignum vitae ,	ora pro nob.
Domus sapientiae ,	ora pro nob.
Porta caeli ,	ora pro nob.
Desiderium colium aeternorum ,	ora pro n.
Ciuitas refugij ,	ora pro nob.
Gloria Hierusalem ,	ora pro nob.
Sanctuarium Dei ,	ora pro nob.
Tabernaculum foederis ,	ora pro nob.
Altare thimiamatis ,	ora pro nob.
Scala Iacob ,	ora pro nob.
Speculum sine macula ,	ora pro nob.
Lilium inter spinas ,	ora pro nob.
Rubus ardens incombustus ,	ora pro nob.
Vellus Gedeonis ,	ora pro nob.
Thronus Salomonis ,	ora pro nob.
Turris eburnea ,	ora pro nob.



Fauus distillans, ora pro nob.

Hortus conclusus, ora pro nob.

Fons signatus, ora pro nob.

Puteus aquarum uiuentium, ora pro nob.

Nauis inſtitoris de longè portans panem,

Stella matutina, ora pro nob. (ora pro n.

Aurora confurgens, ora pro nob.

Pulchra vt luna, ora pro nob.

Electa vt ſol, ora pro nob.

Caſtrorum acies ordinata, ora pro nob.

Solium gloriæ, ora pro nob. (oſa.

A cunctis periculis, Libera nos virgo glori-

Per ſalutarem Conceptionē tuā, Lib. nos v.

Per ſanctam Natiuitatem tuā, Lib. nos v. gl.

Per admirabilem Annuntiationem tuam,

Libera nos virgo glorioſa.

Per immaculatam Purificationem tuam,

Libera nos virgo glorioſa.

Per glorioſam Aſſumptionem tuam, Libe-

ra nos virgo glorioſa.

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Vt veram pœnitentiam nobis impetrare

digneris, Te rogamus audi nos.

Vt Societates tibi peculiari obſequio deuot-

tas conſeruare & augere digneris, Te r.

Vt Ecclesię sanctę, cunctoq; populo Chri-
stiano pacem & vnitatem impetrare di-
gneris, Te rogamus audi nos.

Vt omnibus fidelibus defunctis requiem
æternam impetrare digneris, Te rog.

Mater Dei, Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce
nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exau-
di nos Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mūdi, Mise. n.

Ora pro nobis sancta Dei Genitrix, vt digni
efficiamur promissionibus Christi.

O R A T I O.

Pletate tua, quæsumus Domine, nostro-
rum solue vincula peccatorum, & in-
tercedente beata Maria, cum omnibus san-
ctis tuis, nos famulos tuos, benefactores,
atque loca nostra, in omni sanctitate custo-
di, omnesque consanguinitate, affinitate,
custodi, atque familiaritate nobis coniu-
ctos, à viciis purga: virtutibus illustra: pa-
cem & salutem nobis tribue: hostes visibi-
les & inuisibiles remoue: carnalia desideria

repelle: aërem salubrem & fertilitatem indulge: amicis & inimicis nostris charitatē largire: atque urbem N. cum omnibus in ea habitantibus, ab omni peste, infideliumque feritate & potentia, illasam conserua; & omnibus fidelibus viuis, & defunctis, in terra viuentium, vitam & requiem æternā concede; & Pontificem nostrum N. protectorem, omnes Prælatos, & cunctum populum Christianum, ab omni aduersitate custodi, & benedictio tua sit super nos semper. Per Christum Dñm nostrum. Amen.

LITANIÆ BEATÆ
MARIE VIRGINIS.

K Yrie eleison,	Kyrie eleison
Christe eleison,	Christe eleison.
Christe audi nos,	Christe exaudi nos.
Pater de cælis Deus,	Miserere nobis.
Sancta Dei Genitrix,	Ora pro nobis.
Sancta virgo virginum,	ora pro nob.
Mater Christi,	ora pro nob.
Mater Diuinæ gratiæ,	ora pro nob.

Mater serenissima,	ora pro nob.
Mater benignissima,	ora pro nob.
Mater dulcissima,	ora pro nob.
Mater purissima,	ora pro nob.
Mater castissima,	ora pro nob.
Mater inuiolata,	ora pro nob.
Mater intemerata,	ora pro nob.
Mater amabilis,	ora pro nob.
Mater admirabilis,	ora pro nob.
Mater creatoris,	ora pro nob.
Mater saluatoris,	ora pro nob.
Virgo prudentissima,	ora pro nob.
Virgo veneranda,	ora pro nob.
Virgo prædicanda,	ora pro nob.
Virgo potens,	ora pro nob.
Virgo clemens,	ora pro nob.
Virgo fidelis,	ora pro nob.
Speculum iustitiæ,	ora pro nob.
Sedes sapientiæ,	ora pro nob.
Causa nostræ lætitiæ,	ora pro nob.
Vas spiritale,	ora pro nob.
Vas honorabile,	ora pro nob.
Vas insigne deuotionis,	ora pro nob.
Rosa mystica,	ora pro nob.
Turris Dauidica,	ora pro nob.

Turris eburnea,	ora pro nob.
Domus aurea,	ora pro nob.
Fœderis arca,	ora pro nob.
Ianua cæli,	ora pro nob.
Stella matutina,	ora pro nob.
Salus infirmorum,	ora pro nob.
Refugium peccatorum,	ora pro nob.
Consolatrix afflictorum,	ora pro nob.
Auxilium Christianorum,	ora pro nob.
Regina Angelorum,	ora pro nob.
Regina Patriarcharum,	ora pro nob.
Regina Prophetarum,	ora pro nob.
Regina Apostolorum,	ora pro nob.
Regina Martyrum,	ora pro nob.
Regina Confessorum,	ora pro nob.
Regina virginum,	ora pro nob.
Regina sanctorum omnium,	ora pro nob.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.	
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.	
Agnus Dei, qui tollis peccata mûdi, Mife. n.	

O R A T I O.

GRatiam tuam, quæsumus Domine, men-

tibus nostris infunde, vt qui Angelo nunci ante Christi filij tui incarnationem cognouimus, per passionem eius & crucem, ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

COMMENDATIO AD VIRGINEM
M A R I A M.

O Domina mea, sancta Maria, me in tuam benedictam fidem, ac singularem custodiam, & in sinum misericordiae tuae, hodie, & quotidie, & in hora exitus mei, & animam meam, & corpus meum tibi commendo: omnem spem meam, & consolationem meam, omnes angustias & miseras meas, vitam, & finem vitae meae, tibi committo: vt per tuam sanctissimam intercessionem, & per tua merita, omnia mea dirigantur & disponantur opera, secundum tuam, tuique filij voluntatem. Amen.

Alia Oratio ad virginem.

O Maria, Dei genitrix, & virgo gratiosa, omnium desolatorum ad te cla-

mantium consolatrix vera, per illud magnū
 gaudium, quo consolata es, quando cogno-
 uisti Dominum Iesum die tertia à mortuis
 impassibilem resurrexisse, sis consolatrix a-
 nimæ meæ: & apud eundem tuum & Dei
 Natum vnigenitū, in die nouissimo, quan-
 do cum anima & corpore ero resurrecturus,
 & de singulis meis factis rationem redditu-
 rus, me digneris iuuare; vt perpetuæ dam-
 nationis sententiam, per te pia mater & vir-
 go, valeam euadere, & cum electis Dei om-
 nibus ad æterna gaudia feliciter peruenire.
 Amen.

Pro sanctis.

Añã. Sancti Dei omnes, intercedere digne-
 mini pro nostra omniumque salute.

Ver. Latamini in Dño, & exultate iusti.

Ref. Et gloriamini omnes recti corde.

Oremus.

Protege, Domine, populum tuum: &
 Apostolorum tuorum Petri & Pauli, &
 aliorum Apostolorū patrocínio confiden-
 tem, perpetua defensione conserua.

OMnes sancti tui, quæsumus Domine,
 nos vbique adiuuent : vt dum eorum
 merita recolimus, patrocinia sentia-
 mus : & pacem tuam nostris concede tem-
 poribus : & ab Ecclesia tua cunctam repe-
 lle nequitiam : iter, actus, & voluntates no-
 stras, & omnium famulorum tuorum, in sa-
 lutis tuæ prosperitate dispone : benefacto-
 ribus nostris bona sempiterna retribue : &
 omnibus fidelibus defunctis requiem eter-
 nam concede. Per Dominum nostrū, &c.

Ver. Domine exaudi orationem meam.

Res. Et clamor meus ad te veniat.

Ver. Benedicamus Domino.

Res. Deo gratias.


Ver. Fidelium animæ per misericordiam
 Dei requiescant in pace. Res. Amen.




Ex. XXV. 207

Died. Jof. Kormuska d. l. a.

to Paris 1744






A. DALEWSKI
INTROLIGATOR
KRAKÓ
Zwierzyniecka 10. 1. 3







Januszowski

PREPARATIONE
DEVOTAE

Cracoviae 1691